AZIONALE VITT. EMANUELE
14
19 N
8 M

XIV 7 63

Digitized by Google

Digitized by Google

M. C:

Hic non Lactantius, sed Lactatus, tutus et non
Occisus, sed non tentatus, neque tentatus, sed est
non angustiatus, neque unquam angustiatus
. neque in posterum

Digitized by Google

APPARATUS
AD NOVAM
L. COELII FIRMIANI LACTANTII
OPERUM EDITIONEM

Una cum Præfatione generali, & duabus Diſſertationibus præviis in ſpecimen Cæterarum.

Accedit ad ſingulos eruditionis Amatores Monitum Bibliopolæ.

ROMÆ, MDCCLI.
TYPIS ANGELI ROTILII, ET PHILIPPI BACCHELLI
IN VIA MONTIS FARINÆ.

SUPERIORUM FACULTATE.

Sumptibus Venantii Monaldini Bibliopolæ in via Curſus.

Digitized by Google

Digitized by Google

Amplissimis, Præclarissimisque Viris
FIRMANÆ URBIS, ET GLORIÆ TUTELARIBUS
Eminentissimo, ac Reverendissimo
SAC. FIRMANÆ CONGREGATIONIS
PRÆFECTO
RR. PP. DD. IV VIRIS in eadem Conscriptis,
Præstantissimo ex Sac. PURPURATORUM ORDINE
PROTECTORI;
Vigilantissimis PRÆSULIBUS
ARCHIEPISCOPO, PRINCIPIQUE,
GUBERNATORI, ac adversus hæreticam pravitatem
GENERALI QUÆSITORI,
SENATUI, POPULOQUE NOBILISSIMO,
Lectissimo a moderandis Studiis PATRITIORUM Coetui,
III VIRIS perfectissimis Gymnasiarchis,
Eximiis LAUREATORUM Collegiis,
Clarissimis SCIENTIARUM MAGISTRIS,
Cæterisque omnibus in florentissima Firmani Gymnasii,
atque Picenæ Aquilæ ACADEMIA
Artium Liberalium Professoribus,

F. Eduardus a S. Xaverio C. E.
S. P. D.

SI cui forte viſus ſum, eruditorum hominum expectationem de mea Lactantii Firmiani editione hactenus tenuiſſe ſuſpenſam, non equidem hac de cauſſa excuſandum me arbitror, quum nunquam alicui eandem

ſim ; me daturum , pollicitus , qui æquo jampridem jure illam a me expetere potuiſſet. Quod ſi culpa aliqua mihi pro hac mora redimenda foret, cauſſas profecto maximas, ac graviſſima in medium proferre poſſem impedimenta, quibus minus promptum redditum eſt ſtudium meum ad opus perficiendum, abſolvendumque, quod quinque fere ab hinc annis inchoaveram. Neque id adeo leve eſſe videbitur, ut potuiſſet citius ad umbilicum perduci, ſi ea ſedulo perpendantur, quæ mihi comparanda fuerunt auxilia ad lumen aliquod iis afferendum, quorum ſincera ſpecies, & avitus decor diuturnis tenebris obvoluta jacuerant. Verum de his luculenter in Operis præfatione dicturi ſumus.

Heic deprecandi potius VOS eſtis, PATRES AMPLISSIMI, ut opus meo labore prope finem perductum, etiam de veſtro judicio glorietur, a quibus id me ſperare maxime juvat, ſine quo omnis labor meus vel foret fruſtra ſuſceptus, vel fructu potiori deſtitueretur. Novi ſiquidem quam maxime arduum ſit, hiſce potiſſimum temporibus, in hujuſmodi negotiis hominem invenire, qui ex perſcripti operis titulo poſt tot, tantoſque viros ex omni litterato Orbe, retroactis non dicam ſæculis, ſed annis fere ſingulis, qui operam ſuam ad Auctorem noſtrum Celebratiſſimum illuſtrandum, priſtinæque ſuæ lectioni genuinæ reſtituendum, ſedulo navarunt, aliquid, quod

pla-

Digitized by Google

placeat, afferri a me poſſe, facile ſibi perſuadeat.

Ecquem unquam, equidem ſæpe mecum ajebam, quum de Lactantii operibus iterum edendis in mentem meam cogitatio ſuboriretur, quem, inquam, latere queat, opera Scriptoris hujus præclariſſimi, centies jam novis curis edita, publicam vidiſſe lucem, quum nulla plane ſit Europæ Regio, cujus inter præſtantiſſimos viros ingenii ſui aciem, ac vim aliquis in hanc Spartam non contulerit? Ut de Italis noſtris, qui in hujuſmodi exantlandis laboribus facem ſemper aliis prætulerunt, omnino taceam, nonne Hiſpani, Galli, Batavi, Angli, Belgæ, ac Germani, ſcripta Lactantii noſtri nitidiſſimis typis, ſummaque diligentia undique conquiſitis, cum formis editis, tum antiqua manu exaratis exemplaribus, vigilato, improboque labore, atque incredibili ſtudio in unum collatis ediderunt?

Quamvis ergo mihi reſervatum eſſet aliquod iis omnibus addendum, quodque fruſtra fuerat hactenus deſideratum, quis aſſertioni meæ fidem eſſet habiturus, niſi vadem aliquem darem pollicitationum mearum, cujus grave judicium, fronti editionis meæ præfixum, Lectoribus fidem afferret authoritatemque, ſe irritum laborem eam luſtrando non eſſe ſubituros, neque aliorum ſcriniorum compilatorem reperturos?

Præterea non is ego ſum, qui unquam putaverim, me ſolum ea perficere potuiſſe, ac plane

abſolvere poſſe, quæ ex tot, tantiſque Viris, qui in Lactantium noſtrum doctiſſima ſcripſerunt commentaria, nullus huc uſque eſt plene perfecteque aſſecutus. Video quæ undique difficultates impendent; noſco vires meas oneri ferendo longe impares: ideoque conſilium, auxiliumque veſtrum, hanc provinciam ſubiturus, enixe poſco; in eo propoſito firmiſſime permanſurus, ut vel judicio veſtro admonitus ab incæpto deſiſtam, vel ope veſtra fretus, adornatum opus brevi, ac perfectiſſime a me abſolutum iri audacter pollicear.

Ut autem vobis innoteſcat quid a me præſtolari poſſitis, quemadmodum ad ardua rerum molimina magno ingenio viri ſe ſe levibus quibuſdam velitationibus exercent, quibus

. . . . *quid ferre recuſent,*
Quid valeant humeri . . . . [a]

oſtendere conſueverunt: haud aliter ego, Lactantii noſtri Operibus, quorum editio lucem ſimul optat atque reformidat, haſce duas diſſertationes cum adjuncta totius operis præfatione, & idea ſum præmittere auſus, ut, illorum ſervato more, nihil magis polliceri videar, quam exitu queam adimplere.

Ad hoc vero ut notarum, caſtigationumque mearum delectus ſimul, ac diſpoſitio veſtro ornari

a Horat. Ar. Poet. verſ. 39.

ri poſſit ſuffragio, antequam oculis, manibuſque Eruditorum pertractandum committatur opus integrum, jam in hocce apparatu aliquod ſpecimen vobis offertur; ex quo ratio operis cum a me præſtiti, tum præſtandi non obſcure deſignatur. De reliqua inſtituti mei ratione conſulto plura præfari non vacat, ex iis enim, quæ heic alligantur, eam cognoſci malo.

Unum tamen a vobis, PATRES OPTIMI, concedi mihi non ſolummodo vehementer opto, verum etiam atque etiam rogo, & obteſtor, ut ſcilicet, ſi luce publica opus meum dignum putaveritis, ſumma, qua unuſquiſque veſtrum pollet ſapientia & eruditione, me monendo juvet, & ea ſuggerendo, quæ diligentiam meam præterierunt, & quæ forte per imprudentiam exciderunt, corrigendo; quum enim non gloriæ privatæ, ſed communis boni ſtudio ducar, nec laudare prætermittam eorum nomina per quos profecerim, nec unquam pigebit me, aut pudebit errata mea etiam publice, & palam agnoſcere, ac emendare. Promovebitis ita antiquiſſimi Civis noſtri gloriam, mihique calcar addetis ad inſtitutum meum alacrius, feliciuſque perficiendum; ita ut ſaltem ſi illud non ſit datum, ut creſcat noſtris laboribus Lactantii honor & decus; tamen culpa mea non ammittat ſplendorem illum, quem jampridem conſtat fuiſſe apud omnes eruditos aſſecutum. Sic Deus O. M. Amplitudinem veſtram ſer-

Digitized by Google

ſervet incolumem, eamque augeat, quemadmodum enixe deprecor, Romę ipſis kal. Septemb. MDCCLI.

Epiſtola Editoris nuncupatoria.
Præfatio in Lactantii Firmiani Opera
Synopſis Cæterarum.
Diſſertatio Prima.
Diſſertatio Secunda.
Monitum Bibliopolæ.

---

*Errata. Pag.*IV.*lin.*1.Abbatem u-L *Corrige* Abbatem Lu-
*p.*VI.*l.*5.libravi *corr.*libavi *p.*XII.*l.* Cœcilii *cor.*Cœlii
*p.*XVIII.*l.*2. nceſſe, *cor.* neceſſe eſt, *p.* XXIV. *l. ult.*
rês ſit, & *cor.* res ſit, *p.*XXXVI.*l.*5.*ante ultim.* velle-
mus . Nonne *cor.* vellemus : nonne *p.*XLVIII. *l.*8. *ante*
ultim. Græciom *cor.* Græciam *p.* LII: *l.* 6. Faſtlum *cor.*
Foſtlum *ibidem l.*7.Fau- *cor.*Fao- *ib.l.*15.*in via Romuli*
cor. in vita Romuli *p.* LIII. *l.* 9. fugentis *cor.* fugientis
p. LVI. *l.*8. querneam *cor.* quernam *p.*LVII. *l.* 6. reli-
gione *cor.* relligione *p.*LXXV. *l.* 10. cæreos *cor.* cereos
p. LXXXIV. *l.*19. Lactantius ait *cor.* Lactantius ait (*a*)
ibidem l.ultm. (*a*) *cor.* (*b*) *p.*LXXXIV.*l.*21. Cap. c. VI.
cor. Cap. CVI. *p.* LXXXIII. FIRMIANO *cor.* FIRMO.
FILIO FILIO.

PRÆ-

Digitized by Google

J. M. J.

FR. HILARION A SANCTA REPARATA

Vicarius Generalis Carmelitarum Diſcalceatorum Congregationis S. Eliæ Ordinis Beatæ V. Mariæ de Monte Carmelo.

CUm opus, cui titulus, *Apparatus ad novam Lucii Cælii Lactantii Firmiani Operum editionem, una cum Generali Præfatione, ac Diſſertationum ſpeciminibus* a Rev. P. Eduardo a S. Franciſco Xaverio Provinciæ Noſtræ Romanæ Sacerdote Profeſſo, & Sac. Theologiæ Exlectore compoſitum duo ex noſtris Theologis ex commiſſione R. P. N. Præpoſiti Generalis, nunc abſentis recognoverint, & in lucem edi poſſe approbaverint; Nos tenore præſentium, quantum ad nos attinet, licentiam concedimus, uti typis mandetur. Datum Romæ in Conventu noſtro SS. Thereſiæ, & Joannis a Cruce die 6. Auguſti 1751.

Fr. Hilarion a S. Reparata Vicarius Generalis.

Fr. Guglielmus a Jeſu Maria Secret.

OR-

Digitized by Google

ORDINIS THEOLOGORUM CENSURÆ.

J. ✠ M.

OPuſculum prævium ad Lactantii Operum editionem a P. Fr. Eduardo a S. Franciſco Xaverio Provinciæ noſtræ Romanæ Sacerdote Profeſſo, ac Sacræ Theologiæ Exlectore elucubratum, jubente Rev. Adm. P. N. Raynaldo Maria a S. Joſeph Congregationis noſtræ Italiæ Præpoſito Generali, attente legi, ac expendi; nihilque in eo cenſuræ obnoxium, ſed omnia Litteratorum calculis digniſſima deprehendi, adeo ut ex ungue Leo dignoſci poſſit, videlicet, ex laudato Opuſculo totius Operis edendi magnitudo, præſtantia, atque utilitas. Quamobrem typis committi poſſe cenſeo. Datum in Conventu S. Mariæ de Scala die 2. Auguſti 1751.

Fr. Philippus a S. Franciſco Definitor Generalis.

J. ✠ M.

DE Mandato Rm̃i Adm. Patris noſtri Raynaldi a S. Joſeph, Præpoſiti Generalis Carmelit. Diſcalceatorum Congregationis Italiæ S. Eliæ, perlegi, ac examinavi Opuſculum, cui Titulus = *Apparatus ad Novam Lucii Cælii Lactantii Firmiani Operum Editionem, una cum generali Præfatione, ac Diſſertationum præviarum ſpeciminibus &c.* a Rev. P. Fr. Eduardo a S. Franciſco Xaverio in Noſtra Romana Provincia Sacerdote Profeſso, ac Sac. Theologiæ Lectore emeritiſſimo elaboratum. In eo, nedum nihil vel fidei Catholicæ doctrinæ contrarium, vel Principum Regimini obnoxium, aut bonis moribus

ribus diſſonum inveni ; Verum omnia ita apte , erudite , ac eleganter ſive diſpoſita, ſive pertractata deprehendi , ut meo qualicumque judicio in maximam totius elaboratiſſimi Operis expectationem Litteratos quoſcumque viros jure , & merito valeat inducere. Quare prælo dignum illud exiſtimo &c.

Datum Romæ in Conventu Noſtro S. Mariæ de Victoria 3. Kal. Auguſti 1751.

Fr. Quintinus a S. Honuphrio Carm. Excal. & Sacr. Theologiæ Lector.

CLL. VV. APPROBATIONES.

REverendiſſimi P. Magiſtri juſſu legi librum, cui Titulus : *Apparatus ad novam L. Cælii Lactantii Firmiani editionem una cum Generali Præfatione &c.* Auctore R. P. Eduardo a S. Xaverio , nec quicquam in eo reperi a Catholica Fide , boniſque moribus alienum ; in quo cum etiam plurima invenerim, quæ eximiam Auctoris eruditionem abunde oſtendunt, eum propterea dignum cenſeo, qui publicis typis edatur . Datum VII. . Kal. Quintil. MDCCLI.

Michael Angelus Giacomelli SSmi D. N. intimus Cappellanus.

OPuſculum = cui Titulus = *Apparatus ad novam Lucii Cælii Lactantii Firmiani Operum editionem , una cum Præfatione generali , ac duabus Diſſertationibus præviis in ſpecimen cæterarum* , ab Ad. R. P. Eduardo a S. Xaverio, ex Carmelitica Diſcalceata Familia Theologo elucubratum , juſſu Rmi P. Joſephi Auguſtini Orſi Sacri Pa-

Palatii Magiſtri, ſedulo expendi, nihilque inter legendum offendi, quod ſit cenſoria virga caſtigandum quinimo Author in Præfatione promittit multa, in Diſſertationibus declarat plurima. Afrum Lactantium non eſſe demonſtrat, & Italum ſaltem, ſi non Firmanum oſtendit. Quapropter publica luce donari dignum exiſtimabam. Ex Ædibus S. P. N. Franciſci ad Ripam Tiberis ſeptimo Kalendas Septembris æræ vulgaris anno 1751.

Fr. Franciſcus Antonius a Collelongo Ordinis Minorum Strictioris Obſervantiæ Sac. Theologiæ Lector Emeritus, & Sacrorum Rituum Cong. Conſultor.

Apparatus ad Novam Lucii Cælii Lactantii Firmiani Operum Editionem, una cum Generali Præfatione, ac Diſſertationum præviarum ſpeciminibus &c. Auctore Eruditiſſimo Viro, P. Eduardo Franceſchini Arcadici noſtri Cœtus XII. Viro. Nihil continet, quod morum integritati, aut Fidei Dogmatibus adverſetur; imo tam ſolida in expoliendis Lactantii Operibus contra Hæreſum fautores molimina jacit, & non inania comminiſcitur tentamenta, ut vehemens legendi Opera hæc omnia perfecta & abſoluta deſiderium injiciat. Quapropter auſpicatiſſima hæc tritia publicæ donanda luci meritiſſime cenſeo. Kal. Quint. MDCCLI.

Michael Joſeph Morei Arcadiæ Cuſtos Generalis.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆFATIO
IN NOVAM OPERUM
LACTANTII FIRMIANI
EDITIONEM.

PAucis heic te moror, quiſquis es, qui hunc librum legendum ſuſcipis. Ipſa ejus te Frons ſatis monet, omnia Lactantii Firmiani Opera, quæ reperiri hactenus potuere, una cum clariſſimorum Virorum notis, a me diligenter conquiſitis, fideliter excerptis, opportune auctis, ac caute, moderateque caſtigatis, volumen iſtud complecti.

De eximio Scriptore, qui Chriſtianum Ciceronem communiter audit, quemque nativo nitori reſtituere curamus, quidquid cum veteres, tum recentiores Hiſtorici poſteris tradiderunt, infra ſub diſtinctis diſſertationibus exacte recenſetur, atque in ſuas veluti claſſes, dabitur diſtributum. Interea de me non eſt quid quæras: homo enim ſum, vix mihi notus, quamquam ipſe me quadraginta annis familiariter uſus, mihi quam alteri,

Digitized by Google

ut puto, notior ſim; quique, ut ſanctiori Philoſophiæ nomen darem, ſic mea omnia deſerui, ut illud quoque ab ea mutuari oportuerit.

Quod ſi ſuſcepti laboris cauſſam ſcire cupis, ſeriemque geſtorum: Eccas. Ut aliquid in dies addiſcerem multa vidi, non pauca legi, plura audivi, ſæpe diſſerui, plurima ſum meditatus; nec umquam ab iis occupationibus temperavi, niſi poſtquam, quæ probanda, aut improbanda occurrebant, mihi curſim fideli calamo, arcaniſque notis, memoriæ cauſſa annotaſſem. Quia tamen latinos inter Scriptores, quos percurrere in deliciis habui, *Firmiani Lactantii* operibus, ſententiarum, rerumque copia cumulatiſſime refertis, & mira quadam ſuavitate fluentibus, ſummopere delectabar, hæc nocturna, diurnaque manu verſans, ſic annotationibus, ſcholiiſque repleveram, ut quamplurimæ librorum paginæ, diverſis temporibus, ac locis editorum, meo ſæpe ſint charactere fœdatæ.

In amplam, ſpiſſamque ſylvam ſata farrago ſenſim ſuccreverat, quum eam ſedulo repetenti mihi, falce indigere viſa eſt. Aliqua enim inter ſe minime cohærebant. Alia invicem collidebantur; & quæ heic altas radices fixiſſe crederes, paullo infra facili niſu revulſa cognoviſſes ab imo: Diverſis ſiquidem editionibus, vel Typographorum oſcitantia, vel Editorum temeritate, aut ignorantia, deturpatis, fœdeque corruptis, prout occaſio tulerat, uſus fueram.

Hinc contra corruptores ira, hinc ad priſtinam, atque genuinam lectionem loca depravata reſtituendi ardor, erumpunt. Quare vetuſtiſſimis conquiſitis exemplaribus, ſive manu exaratis, ſive prælo excuſis, ubique locorum vel in privatum uſum, vel in publicum aſſervatis; omniumque, quæ habere potui, ſeu per me ipſum, ſeu pe-

ap

aptos Viros, diligenter collatione facta, quum animadvertiſſem, plurimos Editores, qui ſanare, quæ irrepſerant vitia, conati ſunt, ea potius auxiſſe, & (quod deterius eſt) Heterodoxos quamplurimos, qui animadverſionibus ſuis Authorem noſtrum illuſtrare gloriantur, eo in dies indigne nimis abuti, opere pretium me facturum duxi, ſi novam Lactantii operum editionem adornarem, in qua non ea ſolummodo, quæ ad expurgandas, atque illuſtrandas editiones hactenus in vulgum ſparſas, conferre poſſent, verum etiam quæ ad detegendas, elevandaſque Heterodoxorum fraudes, atque fallacias apta eſſent, facile opportuneque ſub oculis ſuis Lector noſter haberet.

Quod ut quam diligentiſſimè perficerem, ad antiquiſſimum Bononienſem S. Salvatoris Ms. Codicem, quem merito, omnium, qui ſuperſunt principem dixeris, VI., aut VII. ineunte ſæculo, doctiſſimorum Virorum judicio, exaratum, in primis confugiendum eſſe intellexi, ut meo ſimul, & plurimorum deſiderio colluſtrandi omnes, & ſingulas vel leviſſimas variantes lectiones ejuſdem Ms. Codicis, (Iſæo, & Thomaſio, qui unice illum obſervarunt ex Editoribus, non integre conſpertas, ſæpe ſæpius prætermiſſas, nec raro imprudenter laudatas), plane ſatisfacerem. Jamque Bononiam iter parabam; ſed R. P. Fulgentius à S. Johanne Baptiſta, meus in Eremitica profeſſione ſodalis, ac in Bononienſi Ordinis noſtri Collegio Theologicæ cathedræ moderator, me in Urbe maluit in Lactantium meum adlaborare, quam iter habendo tempus inutiliter abſumere. Ipſe itaque, pro ſua in me voluntate, ſpecimen characterum, a me ex Monſoconienſi, Allatienſi, Bunemannenſi, & Nourryano exemplaribus deprompttum, laudati Codicis vetuſtiſſimi apicibus collaturus, anno MDCCXLVI. adiit

R. P. D. Michaelem Angelum Monſacrati, Abbatem Lucenſem, inſignis Canonicorum Regularium Ordinis, Rhenanæ Congregationis in S. Salvatoris (a) Cœnobio Prælectorem eximium, heic mihi non ſine laude, ac debita gratiarum actione nominandum; atque ab eodem non quod optabam ſolum obtinuit, verum etiam id factum eſt, quod neque per me, nec forte per alium quempiam poterat felicius, aut exactius exequi.

Is quippe Vir erudititiſſimus, tali, ac tanta diligentia codicem illum diſcuſſit, atque non ſine ſummo labore cum Iſæana anni MDCXLVI. editione contulit, ut ne leviſſimi quidem apicis variationem in adverſariis ſuis uberrimis dimiſerit inobſervatam; acerrimoque, quo pollet ingenio, id adeo perſpicue, diſtincteque præſtitit, ut Volumen hocce, ab eodem tam inſigniter exornatum, & quo me perbenigne donavit, omnemque expectationem meam longe vicit, auro, gemmiſque contra, penſari poſſe, quamplurimi Eruditorum judicaverint. Mihi ergo uni theſaurus iſte non eſt ſervandus, ſed publico donandus uſui: hac tamen lege, ut quotieſcumque deſperatæ lectioni ex eo ſumus opem allaturi, toties immortales, juſtiſſimæque gratiæ Benefactori Optimo rependantur. Heic nunc monitum te volo, Lector humaniſſime, hujuſce codicis germanam lectionem, me ubique fideliter repræſentare non poſſe, niſi in notis; ſiquidem in orthographia ſæpe, in locutione non raro amanuenſis Librarius peccat, quod ſemper indicabimus primo variantium lectionum loco, ut totus codex appareat, non retardata tamen, aut interciſa capitulorum ſerie, quæ diverſò

erit

a Romæ nunc eodem munere florentiſſime apud ſuos fungitur in Cœnobio S. Petri ad Vincula, de quibus anno proxime præterito accuratam, eruditamque diſſertationem edidit, *Sanctiſſimo D. N. Papæ Benedicto XIV. dicatam*.

Digitized by Google

ērit charaƈtere perſcripta. Digniſſimis præterea ſumma laude laboribus ad Firmianum priſtinæ integritati reſtituendum, declarandumque Fulvii Urſini, Andreæ Schotti, Angeli Rocchæ, Antonii Raudenſis, aliorumque, quorum nomen nuſquam in quibuſdam, a quibus excerpſi, Codicibus apparet, in hac noſtra editione frui poteris; etenim eorum in Laƈtantium obſervationes, hactenus ineditas, una cum ſeleƈtis omnium Editorum jam vulgatis notis, proprio loco daturi ſumus.

Ad alia vero Laƈtantii opera, quæ jamdiu putabantur deperdita, & hocce noſtro, vel ſuperiori ſæculo e tenebris in lucem fuerunt bono publico eruta, Authorique Firmiano a Viris Cll. vindicata, noſtram quoque operam impigre contulimus; ac ſingulares eorumdem Mſs. Codices iterum iterumque colluſtrari curavimus: nec fruſtra, aut ſine cauſſa obtinuimus, ut quilibet obſervare poterit in libro *de Mortibus Perſecutorum*. In *Epitome divin: Inſt:* ac in *Sympoſio*, quibus tam in diſſertationibus, quam in annotationibus non mediocris facta eſt lucis acceſſio.

At quid heic contraƈto hæres ſupercilio? num pudet vocari ad Heterodoxorum quoque lucubrationes, quoniam tibi compertum eſt, eos inter, qui Laƈtantium illuſtrarunt, paucos quidem Catholicos eſſe, pleroſque tamen a Romanis dogmatibus alienos? Pietati ne, an religioni times? Sed quæſo te: pone ſupercilium: utrimque te ſecurum præſto. Nec mirabere, ſi eos indiſcriminatim nunc laudo, nunc caſtigo. Quemadmodum enim, qua parte veritas occurrat, ei obviam ire expanſis ulnis ſemper eſt laudabile, ſic mendacium, aut errorem vel in proprio peƈtore abſconditum detegere, atque confodere, tamquam egregium facinus habendum eſt.

Non unum profeƈto aliquod mihi imitandum exemplar

plar propoſui, cujus omnes partes, quocumque eſſent in genere, exprimendæ mihi neceſſario forent; ſed omnibus ante oculos poſitis, quod quiſque ex Editoribus apte afferre mihi viſus eſt, excerpſi, & ex variis Codicibus, atque commentariis lectiſſima quæque libravi. Ex iis ſane, quæ plures Viri litteris tradiderunt, ſicuti nec nihil optimum, ita nec omnia eſſe poſſunt præclariſſima. Ideoque ſtultitia mihi viſa eſt, & a bene inventis alicujus recedere, ſi quo in vitio ejuſdem offendiſſem, aut ad vitia quoque ejus accedere, cujus aliquibus accurate enucleatis, ad ſenſa Authoris detegenda commode ducebar: quin potius nec erranti Lactantio ipſe peperci; quamvis pro virili parte, ubi ratio id poſtulat, eum defendere, ac propugnare minime detrectaverim.

Neque illorum acquievi ſententiis, qui bene ſe geſſiſſe falſo ſibi perſuadent, ſi neglecta rerum inveſtigatione, criticis dumtaxat quibuſdam verborum obſervationibus, præclariſſimorum Virorum ſcripta recenſere contenti ſunt; ſed uberiori ſtudio vaſtiſſimum univerſæ eruditionis campum, in quo late ſpatiatur Lactantius, ipſum pone ſequens, ingreſſus, quouſque ab eodem me ductum ſentio, ardenti, avidoque greſſu ire non piget. Hinc mihi ſermo multus erit de Lactantii Firmiani nominibus, Patria, ſtylo, eruditione, vita, uſoribus, vindicibus, Mss. atque editis operibus. De univerſali ab O. C. hiſtoria. De Heroum, ac falſorum Numinum Theogonia. De Idolorum, Vatum, Sibyllarumque Oraculis. De Idololatriæ originibus, progreſſu, atque everſione. De cunctis Philologiæ, atque Philoſophiæ partibus ab ejus ortu ad uſque poſt fatum in vitam meliorem reditum. De omnibus Philoſophorum ſectis, ac eorundem placitis, vel mutuo collineantibus, vel adinvicem collidentibus; nec non de ſingularum fere Gentium antiquarum moribus, ac religionibus.

Pa-

Potiſſimum tamen mihi prætereunda non ſunt Prophetarum, Divinarumque Scripturarum de Jeſu Chriſto, Servatore Noſtro, vaticinia, ac ejuſdem ſacroſanctæ Fidei inconcuſſa, atque invariata Myſteria; Apoſtolorum prædicationes, & itinera; Arcana, & communis antiquæ Eccleſiæ diſciplina; Perſecutorum, Perſecutionumque hiſtoria; Martyrum multitudo, in cruciamentis conſtantia, apud homines gloria & cultus, ac demum in Cœlis coronæ; Hæreticorum Sectæ; Geographorum Tabulæ; Cronologorum ſupputationes; atque rerum quamplurimarum indagines: & ut ſingula uno complectar verbo; omnia, ſive a Lactantio, ſive ab ejus Commentatoribus quocumque modo tentata, & tacta, ſedulo mihi erunt perſequenda, atque de ſingulis ſuis locis opportune diſſerendum.

Ex iis facile tibi erit, Amice Lector, conjicere quantam ſupellectilem in Lactantio meo comparaverim, eum tibi nitide, quantum potui, ultro oblaturus. Nec aliquid amplius ad laborem meum, quod attinet, heic addam; niſi quod, non ſemel tanta rerum, ac commentationum copia pene obrutus, & arduis undique vallatus anfractibus, ſummi tandem Numinis ope, tam ingens pondus ſuſtinendo progrediens, eos omnes prætervectum me novi (abſit invidia verbo) quos antea ſtadium hocce occupaverat.

Verum enim vero, quamquam IV. fere ab hinc annis hæc omnia mihi ita in promptu eſſent, ut brevi potuiſſent prælo committi; hactenus tamen eorumdem editionem differre neceſſe fuit. Folium enim typis Aloyſii Pavini, Bibliopolæ Veneti italice conſcriptum ad me delatum eſt, in quo R. P. M. Franciſci Mariæ Leonis Veronenſis, Seraphici, quem Minorum, Ordinis appellant, in celebri Academia Patavina, olim Metaphiſicæ,

ſicæ, nunc Sac. Theologiæ,& Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Profeſſoris, ſtudio, omnia Lactantii Firmiani Opera in quatuor tomos fol. diſtributa, una cum variorum notis, ac Editoris luculentiſſimis Diſſertationibus, caſtigationibuſque, pollicebatur ſe brevi in lucem daturum eſſe Typographus. Ideoque ampliſſimi Cardinalis Paſſionei, cujus in ævum victurum nomen heic memoraſſe, vice promeritarum laudum ſatis eſſe debet, conſilio uſus, quemadmodum ejus Bibliotheca utebar, omnium librorum genere cumulatiſſima, a publicis typis abſtinui: meis proculdubio ratus, ea meliora fore, quæ ab hoc Viro in lucem proderentur. Verum, neſcio quo fato, poſtquam per annum, & ultra editionem hanc avide expectaveram, eam mox evanuiſſe mihi pro certo nunciatum eſt; & quamvis per communes amicos poſtulaſſem ab eo lucubrationes ſuas, ut ſi vellet, una cum aliis alligarem, nihil tamen obtinere potuimus.

Vix itaque ad opus meum, ſupremam ei daturus manum redieram: Ecce tibi Pariſiis admonitio, typis edita mittitur, qua notum fit Eruditis omnibus, Lactantii Firmiani Libros apud Johannem de Bure ad DCCC. & amplius MSS. Codices, editoſque XL. collatos, emendatos, atque uberioribus notis illuſtratos, primum quidem a Johanne le-Brun, poſtea vero a Nicolao Lenglet du Freſnoy in publicam lucem proximo Septembri menſe venturos, ut ad calcem admonitionis, ibidem editæ, anno 1747. legebatur.

Iterum ergo manum de tabula: donec editio hæc ad manus meas perveniret; eaque contentus, *quæ omnium inſtar eſſe* dicebatur, incæpto longius abirem; vel ſi quæ forte deeſſent ex iis, quæ paraveram, animus erat id ei per modum appendicis adnectere; aut ita diſſertationibus meis augere, quemadmodum Johannes Pearſon,

ſon, & Henricus Dodwelli annalibus, & diſſertationibus Cyprianicis inſigniter locupletaverant editionem S. Cypriani à Johanne Felli Oxonien. Epiſcopo notis ſuis adornatam,& jam publici juris factam Oxonii MDCLXXXII. cuſam Bremæ an. MDCXC. & Amſtelodami MDCXCIX.

Poſt quam ergo Pariſienſem hanc editionem per biennium integrum præſtolatus eram, ad me tandem aliquando pervenit pridie idus Septembris MDCCXLIX. Venantio Monaldino Librorum notitia, ac mercatura clariſſimo, eam mihi, cui cariſſimam fore ſciebat, deferente. Statim fidelibus oculis, eam ſedulo perſpexi, & a fronte ad calcem ſemel & iterum ſumma diligentia verſavi; ſed quamquam Editoris famæ conſulere jure debeam, atque optem ex animo; attamen hæc aſſerere me poſſe non injuria arbitror, hanc ſcilicet editionem meam,quam jam pridem adornaveram, ſua quidem cumulatiorem eſſe, ac ad expeditum uſum longe magis accomodatam. Quæ enim in ea ſparſim exhibentur, & interciſe alligantur lectiones, & Variorum notæ, heic una pariter Lectorum oculis ſubjiciuntur. Plurima vero, præcipue ad caſtigationem notarum Servatii Gallæi, aliorumque, ſeu Proteſtantium, ſeu Remonſtrantium, aut Reformatorum, ut audiunt, pertinentia, & in ea prætermiſſa, leviter tacta, aut veritati minime conſona, a nobis congeruntur, explanantur, reſtituuntur, caſtigantur, refelluntur.

Quamobrem Lactantium meum, ſecundum quem excogitaveram modum, nullas ultra nectendo moras, oculis Eruditorum cenſendum primo, deinde conluſtrandum committo, eiſdem gratias acturus, ſi humaniter ipſum recipiant; eumdemque ad uſum ſcholarum contractiori forma, ac faciliori diſpoſitum methodo in gratiam ſtudioſæ juventutis daturus, ſi cum hac editione bene

 actum

actum eſſe intellexero ; ac , ſi quid in eo deſiderent Eruditi Viri , per epiſtolas , aut per nuncios me commonefacere dignabuntur .

Interea iis omnibus , qui ante me opus hocce fuerunt aggreſſi , non parum me debere , ingenue fateor . A ſingulis enim aliquid didici , nec invide ſilentio eos præteream,ubi illorum memoriam locus poſtulare videbitur . Sua unicuique ſarta tecta maneat gloria , dummodo mihi liberum ſit , ut ingenuum hominem decet , quod ſentio , aperte de more pronunciare , ac moderate indicare , ſi quid in eis minime probandum occurrat . *Non enim* , verbis Senecæ utor Epiſt. XLV. quæ eſt I. lib. VI. *non enim* , inquam , *me cuiquam mancipavi* , *nullius nomen fero . Multum magnorum Virorum judicio credo* , *aliquid & meo vindico . Nam illi quoque non inventa* , *ſed quærenda nobis reliquerunt* .

Quapropter ſi in manus aliquando tuas , qui extra S. Romanæ, Catholicæ , atque Apoſtolicæ Eccleſiæ tutiſſima caſtra ſtipendia facis , aut extra ipſius ſanctiſſima Pomeria verſaris , opus hocce noſtrum forte pervenerit , ne illud quæſo percurrere recuſes , neve reformides , quaſi tuas , tuorumque ſententias dicteriis , conviciiſque irridens , atque ſcommatibus inurbane peſſundans . Non eſt meum homines , aut ſcriptis , aut voce , impotentium ritu , laceſſere . Hoſtes nec contemno , nec timeo . Eorundem impetus reprimo, atque retardo, quum bella volunt . Provocatus , ſine injuria reſpondeo : Nec victoriam meam magis opto , quam eorum ſalutem ; quæ utinam pro certaminis præmio , diſcuſſa errorum tabe , qua usque ad phreneſim laborant , vulneribus detur à me inflictis adſcribere : liberaliter eos interea monens , ne errent , qui Lactantio duce , ut falſo putant , procul a veritate abripiuntur . Inſpice ergo quid portet , nec prius damnes,

Digitized by Google

damnes, quam univerſa exploraveris. De Ethnicorum Caſtris auro gemmiſque ſuffarcinatus, quaſi expoliata Aegipto, Lactantius noſter exiſſe, viſus eſt Auguſtino (a). Viciſſim experiamur inter nos, quid ex hoſte reportet. Equidem ſcio quanti apud vos æſtimetur Author noſter. Vidi veſtros in eum labores, & ſæpe eruditionem, diligentiam, atque elegantiam demiratus ſum. Utinam in eis par fuiſſet ſtudium veritatis, cujus nobis deſiderium reliquiſtis. Non omnino me latent, quæ ex eo, tamquam ex perenni officina, in nos Doctores veſtri contorquenda ſpicula jamdudum parant, quæque irrito ſemper ictu hactenus ſunt ejaculati: jure ne, an injuria hoc factum ſit, ac fieri deinceps queat, omni præjudicio ſepoſito, pauliſper perpende, tibique, ut par eſt, quum de vera religione agatur, melius conſule. Aliter quippe nobis de aliis, qui medelam reſpuunt, ac de nobis metipſis proſpiciendum eſt.

Cæterum quum me hominem ſciam, ideoque ſomno, & vigiliis obnoxium, Te Lector, quicumque es, per communem humanitatis ſortem deprecor, atque obteſtor, ut mecum perhumaniter agas, & cauſſa methodoque ſcribendi agnitis, Lactantium noſce, ſi lubet.

B 2 *Diſ-*

a S. Auguſt. de Doctr. Chriſt. l. II. cap. 2.

Digitized by Google

Diſſertationum prævarium ad Novam Lactantianorum Operum editionem conſpectus, & accurata Synopſis.

DISSERTATIONUM PRÆVIARUM

PROEMIUM,

In quo ſuſcepti operis ratio, atque neceſſitas oſtenditur.

DISSERTATIO I

De Firmiani Lactantii denominationibus non uno, ſed pluribus, diverſiſque modis hactenus in vulgum ſparſis, & tandem MSS. *antiquiſſimorum ope ad veram, germanamque eſpreſſionem redactis.*

DISSERTATIO II.

De Lucii Cæcilii Firmiani Lactantii Patria, Parentibus, atque conſanguineis.

DISSERTATIO III.

De Sæculo, quo Lactantius floruit.

DISSERTATIO IV.

De Lactantii adoleſcentia, Juventute, ſenio, ſtudiis, atque muneribus.

DISSERTATIO V.

De Operibus a Lactantio perſcriptis.

DISSERTATIO VI.

De ſingulis Lactantii Operibus ſingillatim: & primum. De Libro, qui inſcribitur: De Opificio Dei, *ſeu* de hominis formatione ad Demetrianum.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO VII.

De VII. Divinarum Inſtitutionum libris adverſus Gentes a Lactantio editis, ac de tempore, & loco, in quibus eos elucubravit.

DISSERTATIO VIII.

De Arianis a Lactantio lib. IV. Divin. Inſt. *inter hæreticos ſui temporis recenſitis, ac de prima Arianæ hæreſeos origine.*

DISSERTATIO IX.

De ratione, qua Ariani poterant anno reparatæ ſalutis CCCXIII. *inter hæreticos recenſeri.*

DISSERTATIO X.

Joſephi Iſæi argumenta diſſolvuntur, quibus evincere conatur, non ſolum Arianorum nomen in Lactantii operibus eſſe delendum; verum etiam M. Conſtantini elogia, & Nuncupationes omnino eliminandas contendit.

DISSERTATIO XI.

De Lactantii libello, qui inſcribitur: De ira Dei ad Donatum.

DISSERTATIO XII.

De Epitome Divin. Inſtit. olim acephala, nunc autem minima in parte interpolata, ac in ſingulari Taurinenſi Ms. Codice reperta.

DISSERTATIO XIII.

De ſingulari libro, cui titulus. Lycii, *aut* Lucii Cœcilii

Digitized by Google

cilii de Mortibus Perſecutorum ad Donatum Confeſſorem .

DISSERTATIO XIV.

De ſympoſio ab Heumanno edito , ac Lactantio Firmiano reddito , & jure optimo eidem vindicato .

DISSERTATIO XV.

De aliis Poëmatibus Lactantio tributis .

DISSERTATIO XVI.

De quibuſdam Lactantii operibus jam diu deperditis , & fruſtra hactenus conquiſitis .

DISSERTATIO XVII.

De operibus a Lactantio pollicitis , falſo adſcriptis , ſeu ſub ejus nomine circumlatis .

DISSERTATIO XVIII.

De Lactantii ſtylo , ac proprio Orationis charactere .

DISSERTATIO XIX.

Clariſſimorum Virorum de Lactantio Elogia .

DISSERTATIO XX.

Sanctorum Patrum , ac Summorum Romanorum Pontificum de Lactantii doctrina Cenſuræ . Infelicium quorundam Criticorum judicia , & male dicta .

DISSERTATIO XXI.

De Lactantii Eruditione Grammatica , ac de linguarum peritia ſub Philologiæ vocabulo comprehenſa .

DISSERTATIO XXII.

De Lactantii eruditione hiſtorica , & chronologica ab orbe condito , ſecundum ſuam annorum ſupputationem in tabulis breviter demonſtrata .

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO XXIII.

De Lactantii eruditione Philoſophica, & primum de Dialectica, ſeu ad Logicam quocumque modo pertinenti.

DISSERTATIO XXIV.

De Phyſica Lactantii Eruditione, ac de Notitia corporum quorumcumque anima carentium.

DISSERTATIO XXV.

De Corporibus viventibus, Animarumque ſpeciebus, proprietatibus, atque potentiis.

DISSERTATIO XXVI.

De Pneumatologia, ſeu de Spiritibus, & ſubſtantiis ſeparatis.

DISSERTATIO XXVII.

De evidentia phyſica, qua homo cognoſcit Deum exiſtere.

De Polytheiſmo, Idololatriæ Originibus, ac variarum Gentium Diis, atque religionibus.

DISSERTATIO XXVIII.

De Philoſophia Morali, ac de hominum officiis in quocumque ſtatu conſideratorum.

DISSERTATIO XXIX.

De Lactantii doctrina Theologica prout a verbo Dei revelato procedit.

DISSERTATIO XXX.

De vera Chriſti Domini Eccleſia, ejuſdemque veris ac invariabilibus notis.

DISSERTATIO XXXI.

De variis Eccleſiæ Catholicæ hoſtium generibus, ac de Per-

Digitized by Google

Perſecutoribus, & perſecutionibus uſque ad Lactantium, adverſus Chriſtianos excitatis.

DISSERTATIO XXXII.

De Martyrum multitudine, conſtantia, cultu, & gloria.

DISSERTATIO XXXIII.

De Antichriſto, ultimo Chriſtianorum Perſecutore. De extremis temporibus. De fine ſæculorum. De interminabili Beatorum felicitate, ac de æternis impiorum cruciatibus.

DISSERTATIO XXXIV.

De veris, falſiſque Lactantii Nævis, & primum, an erraverit cum aliquo ex antiquis hæreticis ante Nicenis.

DISSERTATIO XXXV.

An Lactantii doctrina faveat aliquo modo Hæreticis noſtri temporis.

DISSERTATIO XXXVI.

De nota, & numero Lactantianorum erratorum.

DISSERTATIO XXXVII.

De Firmiani Operum fortuna.

DISSERTATIO XXXVIII.

De eorundem operum Mss. Codicibus, ubique gentium aſſervatis, ac de præcipuis illorum ſpeciminibus, una cum regulis ad eorundem notitiam pertinentibus.

DISSERTATIO XXXIX.

De variis eorum editionibus chronologicæ, ac Typographicæ cenſuræ, & deſcriptiones.

DISSERTATIO XL.

Authorum a Lactantio laudatorum elogia, & unicujuſque authoritatis expenſio.

Indices Rerum, Verborum, & Phraſium locupletiſſimi.

DIS-

DISSERTATIONUM
IN LUCII COELII FIRMIANI LACTANTII
Operum editionem poſtremam,
PROEMIUM,

In quo ſuſcepti operis ratio oſtenditur, & neceſſitas demonſtratur.

QUum alicujus libri lectio nobis addiſcendi cauſſa inchoanda eſt, permagni intereſt, de illius Auctore peculiarem notitiam compertam, atque exploratam habere: non ſolum, ut abdita quædam, & ſingula ejuſdem effata noſcantur, quæ interdum ſæculo, interdum loco, in quo ille ſcripſit, alligata ſunt, vel etiam ab aliis, qui eo ſunt familiariter uſi, quodammodo dependent, ſed potiſſimum, ut a quampluribus errandi periculis mens noſtra mature, opportuneque ſer-

ſervetur incolumis. Iis quippe, qui hujuſmodi notitia carent, id plerumque contingat, neceſſe, quod agentibus cum ignotis hominibus, alta tenebrarum caligine interjecta, non ſemel accidiſſe, quædam teſtantur hiſtoriæ: Liam, puta, pro Rachele complecti, Aſpidem loco piſcis ad palatum admovere, Nubem vice Junonis venerari.

II. Neque heic mihi ad hoc demonſtrandum, ſi id operis mei ratio poſtularet, exempla quamplurima, cum antiqua, tum recentiora deeſſent: ſæpe namque obviam habuimus, quinimo & aliquando auribus noſtris audivimus viros quoſdam, cæteroquin doctos, ſed nondum ad ſæculi genium expolitos, qui Scriptorum quorundam nomina, eorumdemque opera audacter permiſcebant: ne de aliis quibuſdam loquar, qui Hæreticos pro Catholicis, Ethnicos pro Chriſtianis improbe nimis ſæpe laudant, aut de aliis quampluribus, qui unum, atque ſingularem hominem in plurimos ridicule ingeminant, vel plures in unum ſtultiſſime contrahunt, ut critici quidam jamdudum ſcite norunt.

III. Quamobrem illa ſemper laudabilis adinventio habita eſt, qua celebriorum Scriptorum nomina, vitæ ratio, Patria, Inſtituta, Scripta, ſingula denique, quæ ad plenam illorum notionem apta videntur, & opportuna, quam breviſſime fieri poteſt, operibus eorumdem ita ingenue in fronte excudere curant, ut lectoribus nota fiant, antequam illorum ſcripta percurrant. Verum enim vero quum infelix humanarum rerum conditio, atque fortuna in eo ſita ſit apice, ut raro ad ſummum abſolutæ perfectionis verticem adinventa noſtra pertingant, vel ſi aliquando prope illum forte pervenerint, brevi, ceu vertigine quadam, mox ab illa altitudine inducta, ſic perturbantur, & nutant, ut tandem graviſſimo lapſu
in

Digitized by Google

in præceps ruant, oportet; non diu profuit, nec amplius deinceps profutura eſt brevis illa, & ad hiſtoriæ leges concinnata facillima methodus ad Scriptorem quempiam intime, ac ingenue cognoſcendum. Ex quo enim hominum aliquorum malitiam, ſive etiam nonnullorum ignorantiam una cum temeritate conjunctam, credentium bona fide, ac ſimplicitate abuti conſueviſſe compertum eſt, eos adulterinis operibus, quæ pro genuinis venditabant, decipiendo; poſteri, alieno periculo cautiores facti, quibuſvis aſſertoribus, niſi Divino ſint Spiritu afflati, atque ab Eccleſia in canonem ſacrorum ſcriptorum relati, fidem gratis accommodare detrectant. Nec profecto eſt, cui tuto illam nunc præſtare queant, niſi fontes detegant, unde copiam advectarum rerum hauſerint, illudve probent, quod aſſerunt. Tanta quippe eſt inter opiniones Scriptorum varietas, talibuſque conjecturis ſententia quæque vallata, ut neſcias, cui fidere omnino queas.

IV. Ecquid, quæſo, agunt quamplurimi, qui ſe in arte critica peritiſſimos crepant, quum Auctorum curant editiones, aut Catalogos, Hiſtorias, Bibliothecas, Tractatuſque de Scriptoribus, præſertim Eccleſiaſticis, edunt, niſi ſæpe de eadem ipſiſſima re, leviſſimis plerumque conjecturis uſi, contra invicem conclamare, & pro ſuo quiſque libito dubia pro exploratis, probabilia pro certis, falſa pro veris, ſive turpiſſimo partium ſtudio abrepti, ſive errore, aut ignorantia ducti, incautis lectoribus audaciſſime propinare? Nonne poſtremis hiſce temporibus, in quibus quiſque ferula cenſoria de more utitur, ſus deque omnia ita mota ſunt, ut ea etiam ante oculos nutare videantur, quæ tamen inconcuſſis fundamentis, jamdudum jactis, firmiter inniti, atque perſtare apud cordatos etiam viros dicebantur?

V. Quomodo ergo officium ſuſcepti muneris comple-

Digitized by Google

re potero, niſi immutata antiqua methodo, prolixius ea omnia pertractem, quæ paucis poterant olim periodis abſolvi? Parcant ergo mihi Lectores noſtri, ſi quamplu-ribus diſſertationibus præviis controverſiam omnem, ha-ctenus motam, de Lactantii nominibus, patria, ætate, ſtylo, eruditione, muneribus, atque perſcriptis libris, finire geſtio: ne vel tamquam reus eorundem criminum, de quibus alios poſtulavi, deinceps traducar, vel ſi ad annotationes, & caſtigationes meas id reſervem, tex-tum potius obruere, quam illuſtrare turpiſſime videar. Sit ergo.

DISSERTATIO PRIMA

De Lactantii Firmiani denominationibus.

I. AB his errandi periculis, quæ ſuperius recenſui-mus, in denominando Authore noſtro non lon-ge diſtamus. Varia namque, diverſoque ordine, & cha-racteribus exarata ſunt quotquot illi nomina tribuuntur. In MSs. Codd., quos vidimus, ſive ſimul, ſive diviſim hæc paſſim occurrunt: *Marci*, *Tullii*, *Arnobii*, *Lu-ci*, *Lucii*, *Lycii*, *Coeli*, *Caeli*, *Coelii*, *Coecili*, *Celi*, *Celii*, *Caecilii*, *Cecilii*, *Lactantii*, *Lactentii*, *Lacten-ci*, *Lactani*, *Firmiani*, *Firmani*, *Fromiani*, *Lucani*, *Cadi*, ut infra in elencho eorum, quod ingenue daturi ſumus, clare, luculenterque repræſentabimus.

II. *Firmianum*, qui & *Lactantium*, eum nominat Hieronymus. *Lactantium*, ſolummodo eum vocant Eu-ſebius, Auguſtinus, & Sidonius Apollinaris. *Firmianum* duntaxat Eucherius, *Firmilianum* Sophronius. *Lacten-tium* Raudenſis, *Firmanum* Bernardinus de Buſtis. Re-cen-

Digitized by Google

centiores vero in *Lactantii* , & *Firmiani* nominibus non diſcrepant , ſed in cæteris minime conveniunt ; Nam Balutius eum appellandum eſſe cenſet *Lucium* , *Cæcilium* , *Firmianum Lactantium* . Nourry *Lucium Cælium Firmianum Lactantium* . Pfaffius vero Lactantium nunquam, *Lucii Cælii* , *& multo minus Cæcilii* , ſed ſolis *Firmiani Lactantii* nominibus appellatum fuiſſe conſtantiſſime judicat .

III. In tanta ergo nominum , atque opinionum varietate vix decernere poſſumus , quid de hac controverſia determinandum ſit , niſi utamur optima criticorum omnium regula , qua & numero pluribus , & ætate antiquioribus ſtandum eſſe docemur ; tunc potiſſimum quum Synchronos , vel quaſi Synchronos MSs. Codices nanciſci poſſumus, non reclamantibus iis, quæ ab arte typographica inventa, typis edita ſunt, exemplaribus . Hac ergo præeunte face , Authorem noſtrum denominare debemus *Lucium Cælium Firmianum Lactantium* cum vetuſtiſſimis MSs. Codd. & cum pleriſque omnibus editis , antequam Balutius Anno MDCLXXIX. librum *de Mortibus Perſecutorum* in lucem ederet ex Colbertino Ms. Codice , obſignato num. 1297. , ubi *Lycii Cæcilii* nomina ſolummodo leguntur .

IV. Neque ab hac ſententia me dimovere potuerunt ejuſdem Balutii , aliorumque paucorum , qui poſt ipſum hac de re luculenter egerunt , rationes , aut authoritates , quippe qui aliquorum Mss. Codicum teſtimonio , & quidem ſatis ambiguo , ſuffulti , innumeris, & omni exceptione majoribus , contraire nituntur . Quamvis enim non denegem, librum de Mortibus Perſecutorum merito, tamquam genuinum Lactantii fœtum , eidem eſſe tributum ; non ideo tamen , quia in eo , & in aliis quibuſdam *Lycii Cæcilii* nomina leguntur , ſtatim his duntaxat nominibus

erit

Digitized by Google

erit Lactantius appellandus. Error ſiquidem librarii amanuenſis ſtatim apparet, ubi alii plerique, & quidem numero, & ætate præſtantiores, *Lucium Cælium Firmianum Lactantium* conſtanter legunt. Aliàs quippe pari ego ratione contendere poſſem illum & *Marcum*, & *Tullium*, & *Arnobium* &c. eſſe appellandum, quum MSs. Codd. mihi non deſint, in quibus hæc nomina rotundis, ut ajunt, literis exarata viſuntur.

V. Neque Balutio me injuriam facturum puto, ſi eum inconſtantiæ heic poſtulavero, nam etiam ipſe in proemio ſuarum annotationum ad laudatum librum de M. P. hoc eodem, quo ego ſum uſus argumento, contra Thomaſium, & Iſæum abuſus eſt, quum de Arianorum nomine retinendo ne, an expungendo a Lactantii operibus diſputaretur. *Quum ſciam* = verba ſunt ipſius Balutii *tot veteres Codices, & editiones mentionem heic facere Arianorum, & vix unum, aut alterum vetus exemplar proferri, in quo eorum nomen non exſtet, non invitus aſſentior eidem Baronio, Thomaſium reprehendenti, quod contra omnium veterum exemplarium, & editionum fidem, textum Lactantii corruperit, nulla vel levi ratione allata*. Sibi quippe, noſcere poterat, hæc omnia ad unguem quadrare, ſi diligentius, ut par erat, MSs. Codices, & typis editos Lactantii libros, ad quos provocat, inſpexiſſet. Quod etiam de Pfaffio dictum volo, qui plurium votis, rem definiendam pariter decernit. Nam non in pleriſque omnibus editionibus ſolum, præſertim antiquioribus, verum etiam in ſingulis fere manu exaratis exemplaribus, quæ ipſe ſub oculis habui, quamvis in fronte habeantur plerumque hæc duo duntaxat cognomina: LACTANTII FIRMIANI vel FIRMIANI LACTANTII; in fine tamen cujuſcumque libri: LUCII prænomen, & COELII nomen fere ſemper eſt additum. Quamvis vero in omnibus exemplaribus

ribus prænomen deficeret, non ideo ſtatim ab uno ad alium Scriptorem eſſet transferendum opus, de quo ambigitur. Nam ipſimet Scriptores hoc facere aliquando malunt familiariter cum amicis de more agentes. Cicero ad Volumnium ſcribens = *Quod ſine prænomine, familiariter, ut debebas, ad me epiſtolam miſiſti, primum addubitavi num a Volumnio Senatore eſſet, quocum mihi eſt magnus uſus*. &c. Adde quod etſi in quibuſdam MSs. Codd. Cæcilii pro Coelii nomen alicubi legatur, vix unum inter eos reperies in uberrimo noſtro Mss., editorumque catalogo, in quo ita ſemper, & ubique ſcriptum ſit. Teſtatur idem ſe obſervaſſe Nourry Diſſ. III. in Lact. C. I. A. 2. ubi ait = *Exſtant etiamnum in ditiſſima Chriſtianiſſimi Regis noſtri Bibliotheca duodecim eorundem Lactantii librorum codices, quorum antiquior, olim n.* 1184. *nunc* 3735. *deſignatus, ante annos circiter* CM *ſcriptus eſſe perhibetur. Illius autem hic eſt titulus* = INCIPIT LIBER FIRMIANI INSTITUTIONUM DIVINARUM. = *Et in Margine manu, uti videtur, eadem* = COELII FIRMIANI DE RELIGIONE = *In ejus vero libri fine*: L. COELI FIRMIANI INSTITUTIONUM &c. *Atque ita etiam in libri quinti, & ſexti fine, niſi quod in poſteriore legitur* COELI. *In altero codice Regio, qui paulo recentior eſt, hæc habetur tantum inſcriptio* = FIRMIANI LACTANTII = *& in ſeptimi fine* = COELI FIRMIANI = *Ac demum ad libri de opificio Dei calcem* = COECILI FIRMIANI.

VI: Sed neque ab omni errore immunis eſt ibidem P. le Nourry, fallitur enim quum dicit = *verum in omnium antiquiſſimo operum Lactantii Codice Bononienſi, quem Sæculo ſexto, vel ſeptimo exaratum eſſe arbitrantur, ſola duo* FIRMIANI LACTANTII *nomina inſcripta ſunt*. Nam in eo Codice priora duo deſunt folia, nec aliquis in fronte apparet titulus. In fine vero primi libri ſic majuſculis literis exaratum eſt: L.CAE-

Digitized by Google

L. CAELI FIRMIANI LACTANTI DE FALSA RELIGIONE LIBER PRIMUS EXPLICIT.

Ita pariter in fine libri ſecundi niſi quod pro *Firmiani*, ibidem legitur: *Firmiiani*: eodemque modo ad finem lib. IV. &c. ut infra in ſpeciminibus, quæ daturi ſumus. Unde corrigendus etiam eſt Nicolaus de Leſtocq. in ſua *Diſquiſitione de authore libri*, *cui titulus Lucii Cæcilii de MM. Perſecutorum*, ad cujus calcem hæc de illo Bononienſi antiquiſſimo Codice ſcripſit -- *Quin & in antiquo Bononienſi Codice*, *cui tamen duo priora deſunt folia legitur ad Calcem libri primi* -- L. FIRMIANI LACTANTII DE FALSA RELIGIONE LIBER EXPLICIT -- *Omiſſo tunc ſcilicet Cælii*, *vel Cecilii nomine* quod omnino falſum eſt.

VII. Præterea obſervandum eſt, quam facillima ſit horum duorum nominum *Cælii*, & *Cæcilii* permutatio, quod pluribus exemplis oſtendunt Walchius in *diatriba de Lactantio*, *ejuſdemque ſtylo cap.* I. Voſſius *Inſt. Orat. l.* IV. *c.* XI. Bunemannus in ſuis notis *ad lib. de M. P.*, ne longius alios adducendo progrediar: quod certe ſi in aliquo MS. Codice perpendendum eſt, potiſſimum animadvertendum erat in ſingulari illo Colbertino exemplari, utpote quod conſtat, ſcriptum eſſe ab imperitiſſimo amanuenſi librario, graviſſimiſque, ac frequentibus ſcatens mendis, ſummaque negligentia exaratum, & ſane in primo etiam authoris nomine, quum loco *Lucii*, *Lycii* prænomen exhibeat, & vice *ad Donatum Confeſſorem* -- habeatur ibidem in titulo -- *ad Donatum Cotireſſorem*, ipſumque *Cæcilii* nomen ſine aliqua diphthongo; fortaſſe quia, antiquorum more, in codice, e quo exſcriptum eſt exemplar illud, characteribus ſeparatis exaratum erat *Caelii* vel *Coelii* nomen, ex quo infelix Librarius *Cæcilii* vocem perperam efformavit. Nec diutius heic morandum eſſe cenſeo, quum & clariſſima res ſit, & ite-

iterumque agitanda, quum ad ipſum librum de *Mortibus Perſecutorum* recenſendum pervenerimus, & Balutii, ac Nourry argumenta ad trutinam revocabimus.

VIII. Retineatur ergo antiqua,& ſuperiori ætate conſtans Auctoris noſtri denominatio integra, ut ſit illi prænomen *Lucius*. Quod quidem, quamvis antiqui Romani illis ſoliti eſſent imponere, qui primo mane in lucem ex matris utero prodierant, Pompejo Feſto aſſerente: *Lucius prænomen primum fuit ejus, qui oriente luce natus eſt*; attamen de Patre ad Filium, & de Proavis ad Nepotes ſæpe deſcendiſſe, in veteribus inſcriptionibus, ac in nummis, & Hiſtoriis, Annalibuſque Romanis non ſemel obſervavimus; quare ſive una, ſive altera ex iis rationibus illi impoſitum ſit hocce *Lucii* prænomen, parum in præſentia refert diſcutere. Illud unice heic obſervare placet, quod ſcilicet, Firmanis Civibus uſitatiſſimum fuit hocce prænomen, ut e. g. *Lucius Volcius in Africa IIVir. Lucius Æquitius, ex Valer. Max. lib.* IX. *cap.* 7. *&* 16. *Lucius Taruntius ex Ciceron. l.* 2. *de Divin. Lucius Sabinus ad quem Plinius lib.* VI. *Epiſ. epiſtolam* XVII. *mittit*; *Lucius Firmius*, *L. Terentius*, *Lucius Navius*, *Lucius Cirpinus* &c. quos ex lapidibus, numiſmatibus, atque Hiſtoricis, Firmanos Cives fuiſſe conſtat, & potiſſimum in Gente Cœlia, in qua plurimi hocce reperiuntur inſigniti prænomine apud Pighium in Romanorum Annalibus, videlicet *Lucius Cœlius Antipater* Hiſtoricus, & Juris Conſultus, de quo Cicero *de leg. lib.* 1. *& de Orat. l.* 2. qui quæſtor fuit an. V. C. DLXXX., *Lucius Cœlius Caldus*, qui fuit Tribunus Plebis an. V.C. DCXXXIII., & Prætor an. V. C. DCXLIV. Item Trib. Pleb. an. DCXXXVIII.

IX. *Cœlius*: nomen familiæ eſt, & Gentis Cœliæ, originem ſuam longe repetentis a Cœlio Vivenna, quem

D con-

Digitized by Google

contra Sabinos pugnanti Romulo ingens auxilium ab Etruria advexiſſe, & a quo Cœlio monti nomen, uni ex ſeptem Urbis Collibus, factum eſſe, Hiſtorici tradunt, apud eumdem Pighium tom.3. An. Rom. ad an.V.C. DCXLVI. Doctiſſimus Andreas Scotti in indice ejuſdem operis, ſeu in *Idea Romanæ Hiſtoriæ*, quam addidit in editione Anturpien. an. 1615., cognomina referens hujus Familiæ, ſcil. *Caldus* = *Rufus* = *Sabinus*, *Vicinianus* addit = LACTANTIUS COELIORUM COGNOMEN EST. HIC DISERTUS ILLE SCRIPTOR, CHRISTIANORUM CICERO: Idque ex eo confirmari poteſt, quod in fronte *Sympoſii*, ab adoleſcentulo Lactantio compoſiti, ac in titulo *Carminis de Phœnice*, illud duntaxat, in quibuſdam Mss. Codicibus legitur, quia eo tempore ab eodem in lucem prodierunt, quando videlicet nondum cognomentum aliquod adeptus fuerat; juxta antiquum Romanorum morem, apud quos adoleſcentibus priuſquam togam virilem ſumerent, Puellis antequam nuberent, prænomina, & cognomina non imponebantur; ut Quintus Scevola tradidit, teſte Auctore Epitomes *de nominum ratione*, quæ Valerio Maximo ſubjicitur, & à quibuſdam Tito Probo tribuitur; quæ omnia uberius infra ſumus ſuo loco declaraturi, quum de Lactantii parentibus agemus diſs. II. §. XXI.

X. *Firmianus*: Sophronio per calami excurſum, *Firmilianus*, ſeu ut in quibuſdam Mss. Codicibus, *Firmanus*; cognomen eſſe facile mihi perſuadeo à patria *Firmo*, ſive potius *Firmio*, deductum; in Piceno clariſſima olim Romanorum Colonia, à primis Eccleſiæ ſæculis Urbe Romanæ Apoſtolicæ Sedi ſemper conſtantiſſime devota, & à Sixto V. P. O. M., ac Cive ſuo, in Metropolim erecta an. MDLXXXIX. per Apoſtol. Conſt. XCV. in qua laudes ejus, ac merita cumulatiſſime recenſentur.

Mos

Digitized by Google

Mos quippe erat Romanis ea omnia appellare cognomina, quæ proprio nomini poſtponebantur; & tunc præcipue quando ex Gente, aut Provincia armis ſubacta, vel ex Patria, clara geſtorum fama, illuſtrata, aut quacumque ſimili ratione, petita, viro alicui imponebantur. Flor. Epit. Decad. IV. l. VII. *Lucius Cornelius Scipio, qui cum Antiocho bellaverat, cognomine Fratri coæquatus, Aſiaticus appellatus eſt*. Cicero pro Murena cap. XIV. *quam laudem ille, Africa oppreſſa, cognomine præferebat*. Macrob. Satur. l. I. cap. 6. *Valerius Maximus, poſtquam Meſſanam Vrbem Siciliæ nobiliſſimam cepit, Meſſala cognominatus eſt*. Ex Patria vero *Quintus Fabius Fulcinianus ex Fulgineo*. *Marcus Meliſſus Spoletinus ex Spoleto Grammaticus*. *Aurelius Valerianus Diocletianus ex Dioclea*, *Candidianus*, Galerii Maximiani filius, ex Concubina genitus, qui ex *Candidiana Manſione* ubi natus, nomen etiam ſortitus fuerat: Ne alios Lactantio Coævos recenſeam, & à natali loco cognominatos, eo præſertim tempore, quo inclareſcere apud extraneos illis contingebat; hac ni fallor ratione, quia cognomentum à patria deſumptum, quum conſtans ſit, & extraneis minime commune, omnibus notius eſſe poteſt, multoque facilius indicare queat ad unam potius perſonam certam, & determinatam, quam ad aliam quampiam pertinere, ſi forte in prænomine, ac nomine convenire plures homines diverſarum partium, aliquando contigiſſet.

XI. *Lactantius*: utrum agnomen ſit, an ſecundum cognomen, incertum omnino eſt; nam ſi ex adoptione provenerat, agnomen eſſe dici debet, quia ſic nomine adoptantis, adoptati cognomen agnaſcitur, ſicuti eadem perſona adoptati, familiæ agnaſcitur adoptantis; & tunc vera eſt antiquorum Grammaticorum regula, qua docemur,

Digitized by Google

mur, illud agnomen eſſe, quod quarto loco in denominationibus apponitur. Sin minus: ſecundum cognomen erit, ſive ex lactea dicendi facultate, ut quampluribus placuit, ſive ex alia quacumque cauſſa ad conſanguineorum diſtinctionem extrinſecus quæſitum, ut mos erat Latinis, aliiſque Gentibus, de quo luculenter agunt Iſidorus, Sigonius, Panvinius, Fabricius, Pitiſcus, Morellus, Krieghius, & alii, ad quos patet aditus. Walchius vero, quum nullam analagiam, ſeu affinitatem *Lactantium* inter, & *Lacteam* eloquentiam adinvenire potuerit, nomen iſtud Familiæ eſſe putavit; Quoniam Veteres etiam aliorum Virorum, qui hoc cognomine appellabantur, mentionem habent. Ego autem, ut ingenue de more loquar, nullibi alium hominem hocce cognomento donatum ante Lactantium noſtrum vidi, quamvis plurimos *Luctatios*, ſeu *Lutatios* me offendiſſe meminerim, præcipue in Romana Hiſtoria. Novi equidem aliquos *Lactantium Placidum* appellare eum, cui *Gloſſæ Veteres latinæ*; in Ovidii *Metamorphoſeon argumenta*; nec non in Statii *Thebaidos commentaria* tribuuntur; ſed adhuc ſub judice lis eſt, quod nam ſit verum nomen ejus; & hac de re videndi ſunt Geſnerus in Bibl., Voſſius *de Hiſt. Latin.* Joſeph Scaliger *ad Euſebium*, Bartius *in Statium*: Thom. Muncherus *Præfat. tom.* 2. *Mythograph. latin.*, & Fabricius *Bibl. lat. l.* 2. *cap.* XVI. §. 3. *pag.* 564. *nota a.* ubi hæc habet.

= Lutatius *in Thebaidem* jam Venet. 1490. fol. cum
= Statio lucem viderat, ſed in *Achilleidem* primus edidit
= Lindebrogius è Ms. Codice Franciſci Pithæi. In Ca-
= talogo Pſeudonymorum Viri cl. Vincentii Placcii p. 216.
= pro *Luctatii Commentario in Statium*, Typographus
= perperam *in Tacitum* excudit. Porro Chriſtianum
= Scriptorem fuiſſe apparet ex iis, quæ in IV. *Thebaidos*
= ſcri-

= ſcribit pag. 144. Dei vocabulum ſciri a nullo homi-
= num poteſt, ſed quid veritas habeat, percipe. Hu-
= juſne Dei nomen ſciri poteſt, qui nutu tantum re-
= git, continet cuncta, cujus arbitrio deſerviunt, cu
= jus nec æſtimari poteſt mundus, nec finibus clau-
= di? Sed cum Magi vellent virtutis ejus, ut puta-
= bant, ſeſe comprehendere ſingulas appellationes,
= quas per naturarum poteſtates abuſive modo deſi-
= gnarunt, & quaſi plurimorum nominum nobilitate
= Deum appellare conati ſunt quaſi ab effectu, cujuſque
= rei ductis vocabulis, ſicut Orpheus fecit, & Moyſes
= Dei ſummi Antiſtes, & Eſajas, & his ſimiles. = Plura
= hujus ſcholiaſtæ loca illuſtravit, emendavitque Thomas
= Munkerus notis ad Mithographos latinos: & ſub Lactan-
= tii Placidi nomine. Nos etiam nonnulla vidimus in Vaticana Bibliotheca commentaria exarata. Vidi etiam de alio *Lactantio* mentionem fieri apud Ruinartum in Act. Martyrum Sinc. pag. 78., ubi profert acta proconſularia Martyrum Scillitanorum ex Baronio ad an. CCII. num. IV Sed ibidem obſervo, eum appellari *Lætantium*, quare judicent Eruditi; nobis enim nihil aliud heic conjectari poſſe videtur, niſi quod veroſimilius ſit, *Lactantium*, ſecundum cognomen eſſe Firmiani noſtri, non tantum ab eloquentia, quantum a dicendi facilitate petitum; Ii quippe, qui facile ſua ſenſa in aliorum animos inſinuant, Lactantium mulierum, ſeu nutricum ad inſtar, auditores ſuos verbis alere, & iſti ab illorum ore pendere, eleganter dicuntur, tamquam parvuli a Lactantium uberibus; unde Ovidius in Epiſt. Penelopis ait:

Narrantis conjux pendet ab ore Viri.

& Virgilius VIII. Æneid. 631.

. . . . geminos huic ubera circum
Ludere pendentes pueros, & lambere matrem
Impavidos . . . .

Et

Et Buddæo teſte, *Lactantia* Celſus vocat omnia, quæ lac emittunt l.2. c.28.; *lac*, *mel*, *ideoque* LACTANTIA, *atque omne piſtorium opus*; & per translationem Quintilianus ait: . . *lactandi ingenii gratia* = Plurima autem cognomina Lactantii ætate maxime in uſu erant, & nullus eorum temporum Imperator, aut vir literis, vel armis quomodocumque illuſtris invenitur, qui duplici ſaltem cognomine non diſtinguatur.

XII. Hactenus de Lactantii noſtri denominationibus, de quibus ultra non eramus acturi, niſi contra noſtras haſce nominum declarationes plurima militarent argumenta, quæ dubitandi cauſſam olim aliquibus dederant de Lactantii patria inquirentibus, nunc autem quibuſdam adeo invicta videntur, ut eum Africanum aſſerere non vereantur; inter quos Balutius, Fabricius, & Heumannus, cui ſubſcripſit Langlet, collatis curis effata noſtra proſternere, ac, tamquam jamdiu proſtrata, percalcare videntur. At avita in Patriam noſtram pietas, tantique Civis direptio, illos de opinione ſua audacter gloriantes, me intactos prætерire non ſinunt, quare eorum momenta heic pauliſper perpendere non piget, ut appareat, quam debilibus fundamentis illorum opinio innitatur; propterea enim ſubjicimus hanc ſecundam diſſertationem.

DISSERTATIO SECUNDA.

De Lucii Cœlii Firmiani Lactantii Patria, Parentibus, atque Conſanguineis.

I. NE Firmanæ Urbis in hujuſce diſſertationis limine, aut in progreſſu, ita aliquando abripiar amore, ut veritate poſthabita, non ſine gravi Afrorum inju-

injuria, tantum illi Civem vendicare geſtiam, ſummorum virorum in hac controverſia, jampridem vulgata, judicia cum ſuis fundamentis, heic breviter exponam, eiſque perluſtratis, quid alii ſenſerint, & quid de ſemetipſo dixerit Lactantius, ingenue referam, ut inter eos, qui adhuc ambigunt, Afer ne, an Italus Firmianus fuerit, tandem aliquando, ſi Superis placet, conveniat, & nuda rei veritas omnibus innoteſcat.

II. Eos inter, qui de ſcriptoribus, rebuſque Eccleſiaſticis, ac de illuſtribus Viris, a magni Hieronymi temporibus ad Bellarminum uſque, ſcripſerunt, nullus de Lactantii patria quæſtionem movit: ſuperfluum fortaſſe putans, de re ſollicite inquirere, aut etiam dubitare, de qua ipſum Firmiani cognomen, ab eodem S. Hieronymo, ceu anthonomaſtice uſurpatum, ſatis de illius patria unumquemque certiorem reddebat. Verum Annalium Eccleſiaſticorum Parens Baronius ad ann. CCCII. num. XVI. Joſeph Iſæus *in Lactantii vita*, ſuæ editioni inſerta. Poſſevinus in *Apparatu ſacro*: Balutius in notis ad librum de *Mortibus Perſecutorum*. Du = Pinius *tom.* 1. *Bibl.* Tillemont. tom. VI. *Comm: pro hiſt. Eccl.* Oudin. *in ſupplem:* novis curis impie aucto *ad Bellarm.* Nourry *diſſ.* III. *in Lact. Cap.* 1. *Art.* 11. Michael a S. Joſeph *in Bibliographia Critica*, aliique, quos infra laudabimus, quamvis nihil certi ſe apud Scriptores de Lactantii patria reperire potuiſſe fateantur, aliquibus tamen ducti conjecturis, Africanum potius, quam Italum, Lactantium fuiſſe crediderunt; eòque proceſſit hæc opinio ut Johannes Albertus Fabricius, in Gymnaſio Hamburgenſi Theol. D., & Profeſſor inter Proteſtantes magni nominis aſſeveranter dixerit *hiſt. Bibl. latinæ num.* 1. *ad Hieron. cap.* 80. *de Script. Eccl.* = Firmiani nomen pro= prium eſt, & undequaque, potius quam a Patria Fir=
= mo

= mo tractum, quæ Siccæ Africæ potius, quam Firmium
= Agri Piceni, in Italia oppidum, vel Formæ Campa-
= niæ fuiſſe videtur; licet in ſermonibus Bernardini de
= Buſtis nominetur Lucius Cœlius Firmanus teſte Ber-
= nardo Moneto tom. 4. Menag. p.85.

III. Quatuor opinio iſta innititur fundamentis, videlicet.

Primo quia Siccæ in Numidia Arnobium Rethorem audivit Africanum.

Secundo. Quia in Scholis Africæ Adoleſcentulus Sympoſium ſcripſit.

Tertio. Quia ex Africa Nicomediam uſque *Odæporicon* (*a*) hexametris compoſuit verſibus, ut de iis omnibus S. Hieronymus teſtatur lib. de Viris illuſtr. c. 80., cujus verba hæc ſunt = Firmianus, qui & Lactantius, Ar-
= nobii Diſcipulus ... Habemus ejus Sympoſium, quod
= Adoleſcentulus ſcripſit *Hodæporicon* (*b*) de Africa uſ-
= que Nicomediam hexametris ſcriptum verſibus &c.
Quibus denique addunt Iſæus, Quinſtedſius, & Heumannus.

Quarto. Quia a *Firmo Firmanus*, non autem *Firmianus* fuerat dicendus. Quæ omnia hiſce verbis comprehendit Heumannus ab initio §.XVIII. ad finem uſque XX. *ſuæ præfationis ad Sympoſium* = Cœterum vulgata eſt
= opinio, Lactantium cognomen *Firmiani* accepiſſe a
= patria *Firmo*, agri Piceni oppido, ſed hic quidem er-
= ror facile confutatur. Primum enim oſtendemus infe-
= rius, Firmianum fuiſſe proprium Lactantii nomen, ne-
= que adeo a patria inditum. Deinde Firmo oriundi non
= *Firmiani* priſcis appellabantur, ſed *Firmani*. *L. Taru-*
= *tii Firmani* meminit Cicero lib. II. de divin. cap. 47.
= ac Plinius lib. VI. epiſt. 15. ſcribit, ſe acturum in foro
= cauſ-

---

a b ὁδοιπορικόν.

Digitized by Google

= *cauſſam Firmanorum*. Alter quoque Plinius (*a*) caſtel-
= lum *Firmanorum* in agro Piceno commemorat. Perpen-
= dentes hoc alii, ſimulque pro certo ſupponentes, Ita-
= lum natione eſſe Lactantium, in eam venerunt opinio-
= nem, *Formianum* eum dicendum eſſe a *Formiis*, urbe
= Campaniæ. Refert hoc Ptolæmeus Flavius Anconita-
= nus, *Conjectaneorum* (*b*) *capite* LXXXIX. addens, ſe
= nec probare id, nec improbare. Nos vero exiſtima-
= mus recitaſſe hanc opinionem, eſſe eam refutaſſe. Sci-
= licet *turpe eſt*, ut Lactantii noſtri (*c*) verbis hic utar,
= *hominem ingenioſum id dicere, quod ſi neges, probare*
= *non poſſit*.

= Sed quid multis? Studuit in Africa Lactantius inde
= a puero, docuit in Africa, tamdemque ex Africa evo-
= catus eſt a Diocletiano Imp. Nicomediam. Merito igi-
= tur Afrum eum ortum eſſe, credimus, ac tamdiu cre-
= dimus, donec id firmiſſimis convellatur vel argumen-
= tis, vel teſtimoniis. Cumque Siccæ (*d*) primos ætatis
= annos tranſegiſſe Lactantium exploratum ſit, quidni
= credamus, eum Cœlii (*e*) Aureliani, Medici, quem
= & ipſum Siccenſem fuiſſe conſtat civem, ſive munici-
= pem fuiſſe? Video quidem, Celeb. Walchium (*f*) ex
= ſtylo Lactantii probatum iviſſe, eum non eſſe Afrum.
= Sed quam infirmum hoc ſit argumentum, vel ex eo pa-
= tet, quod tot nobis ſuperſunt Africani Scriptores, nihil
= trahentes e natalis ſoli *ſtribligine*. Quem enim fugit,
= Afrum fuiſſe Terentium, cujus ſtylum certatim collau-
= dat univerſus Philologorum ordo? Afrum fuiſſe Cypria-
= num, de cujus dicendi genere hunc judicat in modum
= Lactantius (*g*) noſter: *Erat ingenio facili, copioſo*,

E = *etiam*

---

a Hiſt. natur. lib. III. cap. 13.
b in theſauro crit. Gruterii Tom. I. p. 990
c Inſt. lib. III. cap. 29. num. 6.
d V. Plin. lib. V. cap. 3., & Saluſt. Jugurth. cap. 56. vid. Fabric. not. ad Hieron. Catal. cap. 79.
e De hoc vid. Fabric. Bibl. Lat. lib. 4. c. 12. p. 862.
f Diſſert. cit. cap. I. pag. 14.
g Inſtit. lib. V. cap. 1. num. 25.

= *etiam ſuavi, & quæ* (*ſermonis maxima eſt virtus*) *aper-*
= *to, ut diſcernere nequeas, utrumne ornatior in eloquen-*
= *do, an facilior in explicando, an potentior in perſuaden-*
= *do fuerit*. Quis neſcit, Afrum fuiſſe Auguſtinum, item-
= que Optatum Milevitanum, quorum dictio ſatis pure,
= nitideque profluit? Vt adeo mirum eſſe non debeat,
= nos nihil moveri illo Cl. Walchii argumento, ſed cer-
= tum habere, Afrum fuiſſe Lactantium: quæ ſententia
= etiam placet Tillemontio in Commentariis (*a*) Hiſto-
= riæ Eccleſiaſticæ, Baluzio, (*b*) atque Cl. Fabricio (*c*).
= Vnde igitur, inquies, Firmiani nomen? Fuiſſe hoc pro-
= prium virorum nomen, illo ævo non infrequens, faci-
= le ſibi perſuadebit, qui conſideraverit, plura veteri-
= bus nomina fuiſſe propria a *Firmus* = deducta. Non
= enim ſolum ipſum nomen *Firmus* factum eſt nomen pro-
= prium, ſed etiam *Firmius*, *Firmicus*, *Firminus*, (*d*)
= *Firmilianus*, *Firmianus*. Pari modo a *Fauſtus* habe-
= mus nomina propria *Fauſti*, *Fauſtuli*, *Fauſtini*, *Fau-*
= *ſtiniani*; a *Marcus* nomina, *Marcionis*, *Marcelli*,
= *Marcellii*, *Marcellini*; a *Marte* nomina *Martii*, *Mar-*
= *tini*, *Martiniani*, *Martialis*. Eadem ratione orta
= ſunt nomina *Probi*, *Probini*, *Probiani*; *Quinti*, *Quin-*
= *tii*, *Quintini*, *Quintilii*, *Quintiliani*; *Servi*, *Ser-*
= *vii*, *Serviani*, *Servilii*; *Minutii*, *Minutiani*, *Pri-*
= *ſci*, *Priſciani*, *Flacci*, *Flaccini*, (*e*) *Flacciani*. Uti
= igitur in hoc catalogo videmus *Fauſtinos*, & *Fauſtia-*
= *nos*, *Martinos*, & *Martianos*, *Probinos*, & *Probia-*
= *nos*, & *Flaccinos*, & *Flaccianos*, ſic nec mirum vide-
= ri debet, *Firminos* extitiſſe, ac *Firmianos*: neque adeo,
audi-

a Tom. VI. pag. 203.

b In Proem. ad lib. de Mort. perſe-cut. pag. 5.

c Annot. ad Hieron. Catal. Script. Eccl. cap. 80. not. 6.

d Firmini cujuſdam meminit Plin. l. 2. epiſt. 11., & 12. Item Auguſt. libr. Confeſſ. cap. 6.

e Flaccini cujuſdam fit mentio in Lactantii lib. de M. P. cap. 16. n. 4. Flacciani vero cujuſdam meminit Auguſt. lib. I. contra Academ. cap. 6.

= audito *Firmiani* nomine, continuo de urbe, hominis
= patria, cui nomen *Firmum*, cogitandum eſt.

Hactenus Heumannus, cujus ideo verba integra dedimus, ne illius momentis vis aliqua a nobis detrahi videatur, & quia nullus eſt, qui eo luculentius hocce argumentum pertractet.

IV Sed antequam aliorum Scriptorum contrariæ iis judicia referam, liceat mihi oro, obteſtorque, adducta fundamenta pauliſper colluſtrare; etenim ſatis debilia eſſe nemo cordatus non videt; ideoque quamplurimi emunctæ naris viri rem in ſuſpenſo reliquerunt, exemplo Gelaſii Papæ primi, qui in decreto de recipiendis, & abjiciendis libris ex Florentino Ms. codice antiquiſſimo, a Luca Holſtenio, & Emmanuele a Scheleſtrate maxime commendato, ſcripſit: *Opuſcula Lactantii, ſive Africani, ſive Firmiani* &c. Adde Bellarminum, Labbeum ad eundem, Gallæum in vita Lactantii, Guilelmum Cave, Moreri, Ceillier tom. III. Hiſt. Auth. Sacror. c. 28. Chriſtian. Iocher, & Jacob. Chriſt. Iſelin in ſuis Lexicis, alioſq. ſupra laudatos.

V. Mihi itaque ad ima eorundem fundamentorum deſcendenti, & principem illorum lapidem colluſtranti, nedum debilia, ſed ſatis nutantia, maleque jacta videntur. Nam quamvis S. Hieronymus, ex quo omnes hiſce fundamentis vim tribuere nituntur, Arnobium dicat Siccæ in Numidia florentiſſime Rethoricam docuiſſe, & Lactantium inter ejuſdem diſcipulos recenſeat, attamen nuſquam reperies, vel Arnobium alibi Rethoricæ præcepta non tradidiſſe, vel extra Africam audiri non potuiſſe a Lactantio; quod profecto Criticis noſtris erat validiſſimis rationibus, atque authoritatibus firmandum, ante quam dicerent exploratum eſſe Siccæ in Numidia Firmiani fuiſſe Arnobium Rethoricæ præceptorem. Non enim deſunt Scriptores, qui Romæ aſſerant, Arnobium docuiſſe, ibi-

 dem

demque a Lactantio fuiſſe auditum. Trith. de Script. Eccl. Bejerlinck T. V. H. Centuriat. Magdeb. Cent. IV. Philippus Bergomen. Suppl. Chron. l. VIII. Emmanuel Betulejus in Præfat. ad edition. oper. Lact. cum comment. Xixti Betuleii Parentis ſui, qui hoc erui poſſe putat ex verbis ejuſdem Arnobii &c. & nuperrime Io: Antonius Sergio in Præfat. ad lib. Italic. Jo: Angeli Gennaro (a).

VI. Liceat tamen per me aſſerere, Lactantium Siccæ in Africa inſtitutum fuiſſe ſub Arnobio Rethoricis diſciplinis; num propterea Afer, & Siccenſis erit Lactantius noſter judicandus? Chratippi Athenis auditor fuit Marcus M. Tullii Ciceronis filius adoleſcens, & tamen quis adeo demens, ut aſſerat, eum Athenienſem fuiſſe, non autem Romanum, ex Arpino Volſcorum oppido oriundum? Hieronymum ipſum nonne Stridon, ut Gennadius ait, in Dalmatia genuit, Roma ſub Donato erudivit, Bethlem habuit ſanctioris Philoſophiæ diſcipulum ſimul, & Magiſtrum? Auguſtinus Afer, Tagaſte in Numidia natus, nonne Mediolani Ambroſium, Sanctiſſimum illius Eccleſiæ Antiſtitem audivit, Sacra eloquia exponentem, eodemque duce & Magiſtro Manichæorum caſtra ſubvertit poſt quam in eis ſtipendia meruerat? Oroſium in Hiſpania ortum addiſcendi cupidum in Africam ad eundem Auguſtinum audiendum trajeciſſe, quis ignorat. Quid de Platone, quid de Pythagora, quid de pleriſque omnibus non ſolum antiquis, verum etiam recentioribus Philoſophis, dicendum eſſet, ſi eorum patriam a locis, in quibus vel addiſcendo, vel docendo operam ſtudiis dederunt, eruere vellemus. Nonne jam nobis innumeræ eſſent ſtatim controverſiæ, & quidem inutiliſſimæ, de eorum natali ſolo dirimendæ? Non amplius de Homeri patria ſeptem duntaxat Græciæ Urbes pugnarent invicem, ſed Urbs pene omnis merito, & jure ſe a nobis repetere poſſe aliquem

a *Delle viziose maniere del difendere le cauſe nel Foro.*

quem Civem ſuum, ſibi inique ereptum, conqueri juſtiſſime poſſet: Quis ergo adeo cæcus eſt, ut non videat, primum hocce fundamentum ſolo intuitu ſanæ mentis dirui? Neque poſſe nos heic ultra commorari, niſi obrui ruinis ædificii velimus, cujus prima baſis everſa jacet, non quidem vi, aut impetu, ſed ſola inſpectione, & advertentia judicii?

VII. Ad ſecundum ergo fidentius accedamus; ſed cave Lector, ne inconſiderantem te feriant ruinæ; nam ex hactenus dictis hocce quoque male jactum apparet, & ſubito collabi ſub mole minatur; dicunt enim: *Lactantius in Africa adoleſcentulus ſympoſium ſcripſit*: Scilicet eodem inconſequentis vitio laborat, iiſdemque ſubjacet ponderibus, quibus aptum non eſt ſubſtinendis. Præterea ſcias, quod in antiquis S. Hieronymi Codicibus Mss. & in vulgatis a Fabricio Commentariis ejuſdem, voces illæ *in Africa*, non adſunt, & Mariano Victorino, teſtimonium de ſua editione ferente, compertum eſt, ibidem ſcriptum non fuiſſe *in Africa*, ſed potius *Africæ*; Quinimo *Africæ* mentionem omnino in Codicibus quibuſdam defuiſſe, unde ſubdit: *Vox Africæ olim deerat: nos ex Sophronio, & vetuſtis exemplaribus reſtituimus*. Herneſtus Salomon Cyprianus in ſuo quodam Ms. Codice legiſſe teſtatur *in Scholis Africæ*, & Centuriatores Magdeburgici Cent. IV. cap. x., Sympoſium ſcriptum a Lactantio aſſerunt *Ad adoleſcentulos Africæ*. Quamobrem ſedulo perpende, num ex iis, quas hactenus obſervavimus, variantibus lectionibus additum hocce inter gloſſemata recenſendum tibi quoque videatur, ut viſum eſt etiam Heumanno, qui §. 1. ſuæ Præfationis ad Sympoſium plane profeſſus eſt hiſce verbis; *Suſpicor igitur diligentiorem quempiam Hieronymiani Catalogi lectorem, recordatum ex capite proximo, Arnobium Lactantii præceptorem, Siccæ in Africa docuiſſe, ad hæc verba: Sym-*

Sympoſium, quod adoleſcentulus ſcripſit, in margine unum verbum Siccæ adjeciſſe. Suſpicor porro, gloſſema hoc, quod vocant, non ita multo poſt, uti fieri conſuevit, in ipſum irrepſiſſe textum. Ubi cum librarius, quid Siccæ eſſet, neſciret, maluit reponere Africæ. Librarii enim, ipſo noſtro Hieronymo (a) obſervante, ſcribunt, non quod inveniunt, ſed quod intelligunt, &, dum alienos errores emendare nituntur, oſtendunt ſuos. Succeſſit, opinor, alius paulo doctior, ſive librarius, ſive lector, qui videns, Latine dici non poſſe: ſcriptis Africæ, felici, ſi Minervæ, Gratiiſque placet, ingenio, duo adjungens verba, ſic reſcripſit: in Scholis Africæ &c. Ideoque, ut ſibi conſtare videretur Heumannus, in ſuis annotationibus ad Sympoſii Prologum, quamvis omnes editi, ac Mſs. legant.

Sic me Sexte doces, ſic te deliro magiſtro.

vel *Sic tu Sexte doces, ſic te deliro Magiſtro.*

Ipſe tamen audacter ſcribit, ſibi pro textu ſufficiens.

Sic me Sicca docet, Sicca deliro magiſtra.

Hæc pro ratione ſubdens = *certe in Codice Caſtalionis extabat*: SIC TU ES *Vnde facere licet*. SIC ME? *ſcilicet*, ME *tranſit ob ſcripturæ viciniam in* TUE.

VIII. Riſum teneas, ſi tam ferreum pectus habes, amice Lector, nam quæ ſequuntur ſtomachum movebunt potius, quam ſplenem, adeo manifeſto mendacio inepta ſunt ad id probandum, quod aſſerit; ait enim, = *Ceterum in Urbe Sicca elaboratum eſſe hoc Sympoſium, dubitare nos vetat Hieronymus, qui cap. 79. & 80. libri de Script. Eccl. memoriæ prodidit, Lactantium* SICCÆ, *quæ Africæ Urbs erat, Arnobio uſum eſſe Magiſtro*. Vide ſupra §. V. & ſeqq., quam peſſima fide hæc dicta ſint; & memento ipſum Heumannum verbis ſuis §. ſuperiori relatis profeſſum eſſe, verbum illud *Siccæ* in Hieronymi textum

a Epiſt. xxviii. ad Lucin.

tum irrepſiſſe, & ab aliquo fuiſſe additum. Certe Raphael (*a*) Volaterranus verba Hieronymi exſcribens ait de Lactantio = *Scripſit adoleſcentulus Sympoſium*; *&* *Africæ Odoeporicon ex Africa uſque Nicomediam hexametris verſibus*. Ex quibus verbis *Africanum iter* ſcripſiſſe Lactantium, ac ſimul *Sympoſium* eruitur quidem; nullum autem ex his operibus concludi poteſt in Africa ſcriptum eſſe.

IX. Præterea, neſcio an cum Lactantii noſtri adoleſcentia componi poſſit Arnobii Magiſterium; Primo quidem, quia ipſe in eodem Sympoſii Prologo diſerte oſtendit, Magiſtrum ſuum tunc quendam fuiſſe *Sextum* nuncupatum. *Sic me Sexte doces, ſic te deliro Magiſtro*: Secundo, quia; Quamvis Adoleſcentuli aliqui, præcoci donati ingenio, poſſint Rethorices precepta audire, non tamen mos erat antiquis, eos ſtatim Rethoribus tradere, nec Rethores eos ſuſcipiebant, literis oratoriis inſtituendos, niſi prius ſub Grammaticæ Præceptoribus profeciſſent, aliarumque diſciplinarum ſtudia ingreſſi ſaltem fuiſſent, ut Quintilianus, & Cicero oſtendunt, de iis luculenter agendo. Tertio demum, quia, quum ex Hieronymo, & Euſebio, in extrema ſenectute Lactantius Magiſter fuerit Criſpi Cæſaris, ante annum æræ vulgaris CCCXVII., ut nos infra demonſtrabimus (*b*), quomodo adoleſcens poterat eſſe Arnobii Diſcipulus, ſi & hic eodem tempore, quo Lactantius ſenex libros ſuos contra Gentes ſcribebat, & ipſe elucubrabat ſuos contra eaſdem? Verba utriuſque proferam id clariſſime aſſerentis. Arnobius lib. 1. pag. mihi 152. col. 2. *Trecenti ſunt anni ferme minus, vel plus aliquid, ex quo cæpimus eſſe Chriſtiani, & Terrarum in Orbe cenſeri*: Lactantius vero in Epitome

a Volat. Comm. Var. l. xiv. fol. 171. t.
b Diſſert. x. §. & ſeqq.

me Divin. Inſtit. cap. 43. ſeg. 1. *ſed ne qua forte ſit apud te hæſitatio, cur eum, qui ante mundum ex Deo natus ſit, Jeſum Chriſtum appellemus, qui ante annos CCC. natus ex homine eſt* &c.

X. Certe hæc non ſunt a Lactantio ſcripta, ut (*a*) infra demonſtrabimus, niſi in extrema ſenectute; ergo ſi eodem tempore, quemadmodum allata verba oſtendunt, ſcribebat Arnobius, alterum ex iis dicendum erit, ſcilicet; vel quod Lactantius adoleſcentulus, adoleſcentulo Arnobio uſus ſit Præceptore, vel quod ſcribente Lactantio in extrema ſenectute, decrepitus jam Arnobius idem præſtaret. Quorum quodlibet quum ſine ſolidiſſimis rationibus, atque authoritatibus, omnino gratis aſſerendum non ſit; neceſſe erit alium Magiſtrum Lactantio adoleſcentulo tribuere, & quidem, eo oſtendente, *Sextum* nomine, non autem Arnobium.

XI. Attamen ne Hieronymi authoritatem parvi facere videar, qui Arnobii diſcipulum Lactantium fuiſſe tradidit, dicam quid ſentio. Nimirum Arnobii Rethoris fama tractum juvenem Lactantium, Siccam, vel Romam ſe contuliſſe, eum audiendi cauſſa, vero ſimilius eſſe puto, quam Civem Civi coævo ſe inſtituendum tradidiſſe adoleſcentem. Quis enim neſciat ætatem illam; præſertim ſi magno, atque excellenti ingenio ſe præditam noſcat, numquam cedere velle pari? Turpe ſiquidem ingenioſi adoleſcentes putant, eum pro præceptore ſuſtinere, quem æmulum, aut potius ſtudiorum imitatorem habere mallent. Quamobrem, ut innuit Ambroſius, primus in eis addiſcendi ardor a Magiſtri nobilitate, maxime ſi cum ſenectute, atque authoritate conjuncta ſit, ſolet plerumque erumpere. Juvenes vero provectioris æta-

a Diſſert. IV. §. VII.

ætatis, libentius ſuppares etiam ſuos docentes audire conſueſcunt, ut de illorum eruditione, ac eloquentia periculum faciant, & quemadmodum eos ſuperare poſſint, callide noſcant; quod Philoſophos, & Oratores feciſſe, paſſim apud Hiſtoricos offendes. At de Arnobii, & Lactantii ætate infra uberius diſputabimus.

XII. Nunc jam tertium apparet fundamentum. *Ex Africa*, inquiunt, *Itinerarium ſuum hexametris verſibus Nicomediam uſque deſcripſit*. Ergo Africanus? Ecquænam arguendi ratio iſta eſt? Orbem univerſum ſuis in tabulis deſcribunt Geographi; Planetarum, Cœlorumque motus Aſtronomi, maria, ſcopulos, ſyrtes, portus, & litora Navarchi. Poſſumus ergo, ſi quid valet argumentum hocce, pro eorundem patria Cœlum, Terras, maria, & quæ in iis continentur, deſignare, quoties natale ſolum ignorabimus illorum? Idem ergo & de Lactantio dicere licebit; ſiquidem, S. Damaſo R. P. teſte, Ep. 1. ad Hierony. etiam Firmianus noſter plurima de *ſitu orbis* commentaria perſcripſit. Quod ſi hæc nimis longo repetita principio videantur, num ſaltem ſoli Africani, ex patria terra diſcedentes, iter agere; aut deſcribere poterunt Nicomediam uſque? Nullus ne in Africæ ditionibus advena, nullus hoſpes, peregrinus nullus, qui ad ſuos redux, vel alibi pergens, terras illas, iterque ſuum delineare queat? Numquid fluvius ille Læthe, quem ſcimus in Africa circa exſtremum ſyrtium cornu, Berenicem urbem alluere, antequam ad Inferos delabatur, oblivionem advenis tranſeuntibus ſolummodo inducit hominibus, ſolis parcens indigenis? At non eſt heic locus, cui inſerantur fabulæ. Hiſtoriis utamur, ut facili negotio explanemus, quam vero ſimile ſit, Lactantium ex Italia in Africam trajeciſſe. Gratis dato, quod ibidem ſub Arnobio Rethore is aliquando litteris operam dederit, &

 quod

quod eò diſcedens Nicomediam venturus, ſuum iter deſcripſerit: Siquidem falſum eſt, S. Hieronymum dixiſſe, a Lactantio deſcriptum eſſe *itinerarium ſuum ex Africa Nicomediam uſque*. Tò *ſuum*: Ab Iſæo, & Heumanno additum eſt. Hieronymus quippe ait, *ὁδοιπορικὸν de Africa uſque Nicomediam, Firmianum ſcripſiſſe hexametris verſibus*: Quod certe fieri ab eo poterat etiam Africa non viſa: vel Nicomedia relicta, in quam fuerat a Diocletiano accitus, & in Africam, quæ in diviſione Imperii Galerium inter, & Conſtantium Clorum facta, huic ſecundo contigerat, ſe recipiens ad perſecutionem declinandam ut infra fuſius dicturi ſumus. (*a*) Fac tamen ex Africa Nicomediam accitum Lactantium ad docendas litteras oratorias; quid inde eruitur, quod firmam, validamque conjecturam reddat de Africana Lactantii patria? Nonne teſtantur omnes, qui Romanam hiſtoriam ſcripſerunt, quod ex ſubacto terrarum orbe, & potiſſimum ex Italia noſtra a primo bello Punico plurimi in Africam a Romano Senatu, & poſtquam illam in provinciam Latina arma redegerant, ante & poſt Lactantii tempora, Proconſules, Præfecti, Tribuni, Quæſtores, Milites, Coloni, una cum liberis ſuis ſæpe ſæpius mittebantur? Ecquis negat inter eos, Firmanos Cives adhibitos quoque fuiſſe, quum ex vetuſtiſſimis monumentis notum ſit, atque exploratum, eos, ſive proſpera, ſive adverſa in Romanam Rempublicam fortuna, ſtrenue ſemper, firmiſſimaque fide, in Latinis caſtris dimicaſſe, ſaltem ab anno V.C. CDLXXXV., quando in fidem Populi Romani Picentum noſtrorum tercenti ſexaginta millia, Plinio teſte, (*b*) venerunt, & Firmum nova Colonia (*c*) deducta eſt? Nemo quippe hac de re dubius hærere

a D ſſ. VII. § XVII. *b* Plin. l. III. hiſt. nat. C. XIII. *c* Vellejus Pater l. 1. Hiſt. Rom.

rere poterit, cui ex eadem hiſtoria notum ſit ab eadem Gente Claudia prodiiſſe Appium Claudium Coſ., qui de Picentibus triumphavit cum P. Sempronio Sopho Collega, & Appium Claudium, pariter Coſ., qui tertio poſt hunc triumphum anno, primus ex Romanis adverſus Afros arma movit, ac fretum ingredi audaciter eſt auſus (*a*).

XIII. Sed age: clarius gentis noſtræ hiſtoriam repetamus; eaque duce, propius ad Lactantii Proavos, non ſolum in Italia, ſed etiam in Africa claros, accedamus. Quam ſtrenue adverſus Romanos ſub primo Sempronio ſe geſſerint Picentes noſtri, Livius, Florus, Eutropius, Appianus, aliique graviſſimi Hiſtorici teſtati ſunt: & Oroſius ingenuus eorundem Compilator lib. IV. hiſt. = Triſte = adeo, inquit, id bellum fuit, ut merito dicatur, tan= tum humanum ſanguinem ſuſceptura, etiam cum gemi= tu horriſono tunc terra tremuiſſe. Romani, pauci ad= modum eo prælio, qui evaſerunt, vicerunt = Quanta autem fide, quanta fortitudine, ac gloria iidem poſtmodum pro Romana Republica pugnaverint, non ſolum laudati Hiſtorici, ſed etiam argentei nummi ex S. C. in memoriam rerum a Picentibus geſtarum, ſtatim ac pro Populo, Senatuque Romano bellare cœperunt, luculenter oſtendunt. Inter eos ille principem locum tenet, quem Goltzius in Faſtis pag. 89. ad A.V.C. CDXCVII. vulgavit, & Stephanus Vinandus Pighius in Hiſt. Rom. ab Andrea Schotti Antuerpiæ an. MDCXV. edita, tom. I. pag. 456. de Q. Cædicio loquens, qui in Conſulatu eodem anno mortuus eſt, & Quæſtor Militaris fuiſſe dicitur, Publ. Sempronio Sopho, & Appio Claudio Coſſ., quum de Picentibus triumphatum eſt, hiſce verbis deſcribit. = Expreſſit

 = igi-

a Flor. l. I. C. XIX. & l. II. C. II.

= igitur in iſtis denariis Cædicius in uno latere Picum,
= Saturni filium, Gentis conditorem, atque ductorem,
= capillis cincinnatis, facie juvenili, decora, quemad-
= modum Heroës, quos immortales numquam ſeneſce-
= re credebant, pingere ſolebant. In altero latere ſtat
= Conſul, ſeu Prætor Romanus, togatus, Magiſtratus
= inſigne, ſecurim virgis alligatam juxta ſe habens, qui
= Picenti tunicato, dextera juncta, fidem dare videtur.
= circumſcriptus titulus eſt.

Q. CAEDICI Q. F. EX. S. C. ROMA.

Quare ex Senatus Conſulto in deditionis Picentum memoriam nummum hunc cuſum eſſe, Pighius concludit, illiuſque conjecturam Jo: Vaillant *in numm. Conſular.* proponit ut veriſſimam pag. 201. Havercampus vero *in annotationibus ſuis criticis ad numm. Conſul. incertæ fidei Huberti Goltzii*, ad calcem Theſauri Morelliani alligatis exiſtimat, *neque ad ea tempora*, *vel acceptos in fidem Picentes*, *ſpectare nummum*; *ſed longe poſt cuſum fuiſſe*: nempe an. V. C. DCLXIV. quum Gn. Pompejo, & M. Porcio Catone Coſſ. iterum de Picentibus triumphatum eſt. Utraque conjectura veritati conſona videtur; quia tamen ut ibidem Havercampus ait, = In nullo denario = Romano vola, vel veſtigium eſt gentis devictæ, cui = illum honorem habuerit Populus Romanus, ut ſtantem = juxta ſe in nummo, & dexteras jungentem depinge- = ret, atque inſuper togatum = aliam typo huic explica- = tionem dabo, quæ partim Pighii, & Vaillantii opinionem firmat, partim vero Havercampi conjecturæ favet, & cauſſam ſimul ſummi erga gentem noſtram honoris habiti, mirifice explanat.

XIV. Idem Cato in deperditi jamdiu libri ſui *de Originibus* fragmento, quod nobis Aulus Gellius l. III. N. A. cap. VII. ſervavit, facem præbet ad iſtius nummi typum

Digitized by Google

typum illuſtrandum = Imperator Pœnus , inquit Gellius ,
= in terra Sicilia bello Carthaginenſi primo obviam Ro-
= mano exercitui progreditur : Colles , locoſque idoneos
= prior occupat . Milites Romani (uti res narrata eſt)
= in locum inſinuant fraudi , perniciei obnoxium . Tri-
= bunus (*a*) ad Conſulem venit ; oſtendit exitium de lo-
= ci importunitate , & hoſtium circumſtantia . Maturum
= cenſeo , inquit , ſi rem ſervare vis , faciundum , ut
= *CCCC.* aliquos milites ad Verrucam illam (ſic enim
= M. Cato locum editum , aſperumque appellat) ire ju-
= beas , eamque uti occupent , imperes , horteriſque .
= Hoſtes profecto , ubi id viderint , fortiſſimus quiſque,
= & prontiſſimus ad occurſandum , pugnandumque in
= eos prævertentur , unoque illo negocio ſeſe alligabunt ,
= atque illi omnes CD proculdubio obtruncabuntur . Tu
= interea occupatis in ea cæde hoſtibus , tempus exerci-
= tum ex hoc loco educendi habebis . Alia, niſi hæc, ſa-
= lutis via nulla eſt. Conſul Tribuno reſpondit ; conſi-
= lium quidem fidum , atque providens ſibi videri : ſed
= iſtos[inquit] milites CCCC ad eum locum in hoſtium
= cuneos quis nam erit , qui ducat ? Si alium, inquit Tri-
= bunus , neminem reperis , me , licet ad hoc periculum
= utere : Ego hanc tibi,& Reipublicæ animam do . Conſul
= Tribuno gratias , laudeſque egit . Tribunus , & CD ad
= moriendum proficiſcuntur . Hoſtes eorum audaciam de-
= mirantur . Quorſum ire pergant in expectando ſunt ; ſed
= ubi apparuit,ad eandem Verrucam occupandam iter in-
= tendere , mittit adverſum illos Imperator Carthaginen-
= ſis peditatum , equitatumque illos , quos in exercitu
= habuit viros ſtrenuiſſimos . Romani milites circumve-
= niuntur , circumventi repugnant . Fit prælium diu an-
= ceps

a Cadicius nomine, ex eodem Catone .

Digitized by Google

= ceps, tandem ſuperat multitudo. Quadringenti omnes
= tum una perfoſſi gladiis, aut miſſilibus operti cadunt.
= Conſul interibi, dum ea pugna fit, ſe in locos tutos,
= atque editos ſubducit. Sed quod illi Tribuno, duci
= militum CD divinitus eo prælio uſuvenit, non jam no-
= ſtris, ſed ipſius Catonis verbis ſubjecimus. Verba Ca-
= tonis: Dii immortales Tribuno militum fortunam ex
= virtute ejus dedere. Nam ita evenit, quum saucius
= multifariam ibi factus eſſet, tum vulnus capiti nullum
= evenit, eumque inter mortuos defatigatum vulneribus,
= atque ſpirantem, quod ſanguen defluxerat, cognove-
= re: Eum ſuſtulere, iſque convaluit, ſæpeque poſt il-
= lam operam Reipublicæ fortem, atque ſtrenuam perhi-
= buit: Illoque facto, quod illos milites ſubduxit, exer-
= citum cæterum ſervavit. = Hunc Tribunum Q. Cœdi-
cium fuiſſe Leonidi Lacedemonio ſimilem, iiſdemque ſi-
gnorum, ſtatuarum, elogiorum honoribus extollendum pu-
tavit Cato. *At Tribuno militum parva laus pro factis re-
licta, qui idem fecerat, atque Rempublicam ſervave-
rat... Hanc Q. Cædici virtutem M. Cato tali ſuo teſti-
monio decoravit* &c. Illa itaque parva laus, is Nummus,
cuſus in memoriam rei geſtæ, fuiſſe videtur, in quo Se-
natus Romanus Cœdicio teſtatus eſt, ſe, Picentes no-
ſtros, vere fratres Populi Romani ſuo egregio facinore,
ac ſapienti conſilio, tunc cognoviſſe, ac ſuo conſultu
palam facere, voluiſſe. Siquidem Picus, Saturni filius,
primus poſt Patrem in Italia noſtra regnavit, & Picen-
tum non ſolum Dux, & conditor dictus eſt, ſed etiam
jure, meritoque inter Populi Romani Parentes recen-
ſetur apud Virgil. l. VII. æn. à V. 45.

.... Rex, arva, Latinus, & urbes
Jam ſenior longa placidus in pace regebat.
Hunc Fauno, & Nympha genitum Laurente Marica

Ac-

Accipimus. Fauno Picus Pater: Iſque parentem
Te Saturne refert: Tu ſanguinis ultimus autor. &c.

& ibidem à V. 170.

Tectum auguſtum ingens, centum ſublime columnis
Urbe fuit ſumma, Laurentis Regia Pici:
Horrendum Sylvis, & religione Parentum
Hic ſceptra accipere, & primos attollere faſces
Regibus omen erat &c.

Fraternæ autem concordiæ manifeſtum indicium eſt duarum imaginum, dextera junctarum typus, ut bene notat Havercampus ad nummum Familiæ Terentiæ in Theſaur. Morelliano pag. 415. l. F. Hocce vero Fratrum ſuorum titulo donatos præcipue inter omnes populos fuiſſe Aeduos inter Gallos, & Firmanos noſtros inter Picentes, Cicero manifeſtiſſime profitetur: de Æduis nimirum l. 1. Epiſt. XIX. ad Atticum; de Firmanis autem noſtris l. IV. Epiſt. VIII. ad eundem. *Per multa*, inquiens, *ad me detulerunt non dubia de Firmanis Fratribus:* Quo Fratrum titulo a Rom. Senatu donabantur ii, quorum fides in Rempublicam jamdiu explorata erat, & non ſolum Civitatis, ſed etiam Senatorum jus ſibi egregiis facinoribus dari meruerant. En Taciti teſtimonium Annal. 11. *Primi Ædui Senatorum in Urbe jus adepti ſunt. Datum id fœderi antiquo, & quia ſoli Gallorum fraternitatis nomen cum Populo Romano uſurpant.* Adde Gellium infra §. XXVIII. Iſidor. ibidem, & Manutium, qui ex Cæſare, Plutar. & Tacit. id clarius explicat in Comment. ad laudatam Epiſt. lib. 1. ad Att. & ad Famil. l. VII. epiſt. x., & ad Comm. Cæſar. *de Bell. Gall. l.* 1.

XV. Primum iſtud Punicum bellum, cujus initio, ut Vellejus ait l. 1. hiſt. *Firmum, & Caſtrum Colonis occupatum*, XXIII. annis, expeditionibus pluribus, varioque eventu, tandem Q. Lutatio Catulo, & A. Poſtumio

ſtumio Albino Coſ., illuſtri Navali victoria finitum eſt. Vix tamen totidem anni obfirmatæ cum Pœnis pacis tranſierant, iterum, & quidem crudelius, exarſit; nec finem accepit, niſi poſtquam, triplici afflicta clade, in Africæ ſinum arma Romana, Scipione Duce, trajecerunt. In hocce ſecundo Punico bello Picentes noſtri deſiderati minime fuere, ſed ut Silius Italicus ait l. v. Punic. a V. 208.

Primæ Picentum, rupto ceu turbine fuſa
Agmina, & Hannibalem ruere, ut videre, cohortes
Invadunt ultro, & pœnas pro morte futura,
Turbato victore, petunt accenſa juventus;
Et velut erepto metuenda libera Cœlo,
Manibus ipſa ſuis præſumpta piacula mittit.

Et l. VIII. a V. 426.

Quid, qui Picenæ ſtimulat telluris alumnos,
Horridus & ſquamis, & equina Curio Criſta?
Pars belli quam magna venit! &c. (a)

XVI. Quum hocce ſecundum bellum Punicum gerebatur, M. Porcius Cato, qui deinde *Major* dictus eſt, prima ſtipendia fecit, ut Plutarchus ait in ejus Vita, & Scipioni in Africam proficiſcenti Quæſtor obtigit, anno ætatis ſuæ, ex Lambino, XVII., aut XVIII. & in ejus vita teſtatur etiam Cornelius Nepos. Conſul factus, & Hiſpanis cis Iberum domatis, in Græciam ſe contulit, ubi, incentore Hannibale, Antiochus Rex Syriæ, adverſus Romanos, occupato Thermopylarum ſaltu cum LX. armatorum millibus bellum feroci inſtruxerat apparatu. Noverat Cato, ut ex ſuperius relatis apparet, Firmanorum fidem, audaciam, conſtantiam, ac quantum in virtute illorum ſemper fuerat Romanorum Ducum fiduciæ; hinc quum exploraſſet hoſtium

(a) Adde Livium Dec. III. l. VI. c. XII. cujus verba dabimus infra §. XIX.

ſtium Caſtra , & prope eorum Cuneos quadam intempeſta nocte perveniſſet , hærebat anceps , qua parte in hoſtes irrueret . = Jam lux apparebat (Plutarchi verbis utor , Hermanno Cruſerio Interprete) & unus viſus eſt = ſibi ſtrepitum exaudire . Mox videre ſub rupe Caſtra , = & ſtationem Græcorum . Eo loco ſubſtinuit Cato = agmen , ſemotiſque reliquis , *Firmanos* , quorum fideli , & prompta opera fuerat uſus , accerſivit : quibus = concurrentibus , ait : unum deſidero ex hoſtibus vivum capere , ut quænam hæc ſtatio ſit , & quammulti , quæ omnium deſcriptio , vel ordo , vel apparatus , quo nos expectant . Ad hoc celeri raptu , & audacia mihi opus eſt ; ſicuti inermia leones animoſi timida petunt animalia ; vix ea dixerat Cato , quum = *Firmani* , ſicut convenerant , confeſtim ruentes decurrunt montibus ad ſtationes , in quas ex improviſo = irrumpentes , omnes turbaverunt , diſſipaveruntque . = Vnum cum armis raptum Catoni obtulerunt = : Tantaque inde hoſtium cædes ſecuta eſt , ut , teſte Oroſio l. IV. hiſt. , ex ſexaginta millibus armatorum , cum quibus Antiochus venerat , vix cum paucis , in ore lapide vulneratus , fuga ſe ſubduxerit .

XVII. Firmani, quos hactenus ſub Romanis Ducibus , qui de Africa , ac de Aſia triumpharunt , vidimus demigraſſe atque tam ardua perfeciſſe gloriamur facinora , tertio jam confecto bello Punico , Carthagine ſimul , atque Numantia deletis , in Italiam redeuntes, quid ibidem præſtiterint pauliſper perpendamus , ut tandem ad Lactantii noſtri Proavos , in Africam a Senatu Romano miſſos , ac ibidem prædiis , poſſeſſionibuſque donatos , recta nobis via pateſiat . *Victis itaque omnibus Romani Populi hoſtibus* = ut narrat Florus l. III. C. XVIII. *non minori flagitio , ſocii intra Italiam , quam in-*

Digitized by Google

intra Urbem Cives rebellabant . . . Quum omne Latium, atque Picenum , Etruria omnis , atque Campania , poſtremo Italia , contra matrem , ac parentem ſuam Urbem conſurgerent &c. Non putes tamen inter rebelles ſocios te reperire poſſe Firmanos , utpote qui jam jure Senatorum , ac Civitatis , uti ſuperius vidimus , donati , cauſſam arma contra Fratres ſuos movendi , nullam habebant , ex qua Romanorum Socii cæteri ad ſeditiones , & prælia concitabantur . Undique ergo hoſtibus vallati , vetuſtiſſimam Pici regiam , ad mare ſitam urbem , cujus etiam hodie extant ruinæ (*a*) tunc vidiſſe dicuntur ; in tutiſſima tamen ſublimi Arce (*b*) obfirmati , ibidem Gn. Pompejum Strabonem , ab hoſte fuſum , receperunt , ac ſuis armis incredibili virtute ſibi , & Reipublicæ ſervarunt . *Parte alia circa Phalerium montem* (Appiani Alexandrini verba ſunt l. I. de Bell. Civil pag. 382. , Sigiſmundo Gelenio interprete) *Judacilius , & T. Afranius , & P. Ventidius conjunctis copiis , exercitum Gn. Pompeji fuſum , fugatumque intra Firmum compellunt , ad cujus obſidionem Afranio relicto , alii duo in diverſum abeunt . Pompejus his , qui cladi ſupererant , armatis , denuo a pugnando abſtinuit* = &c. donec *irruptione facta , ex oppido Firmo , obſidentes Latinos repulit , & Aſculum fugavit , deinde Conſul anno ſequenti* DCLXV. *ab V. C. quo Aſculum cepit , Veſtinos , & Pelignos , ad deditionem redegit , de iis triumphavit* : ut Petavius continuat l. IV. p. I. Ration. Temp. Cap. XVI.

XVIII. Nec Firmanorum virtutis , ac in re bellica egre-

a Piceni autem Oppidi , quod Regioni huic nomen impoſuit , ruinæ , ſuperſunt prope Portum Firmanum , Urbem ad oſtium Læti [illegible]entis , quem mortuum appellant . Dalecamp. ad Plin. hiſt. l. III. C. XIII. litt. C.

b Plinio ubi ſupra , & Strabone l. V. *Caſtellum* F[illegible]*manorum* ab oppido d[illegible]verſum dici tur . Vide infra §. XXX.

egregiorum facinorum ad tuendam, ampliandamque Romanorum Rempublicam, monumenta præclariora nos deficiunt; Syllæ quippe adverſus Carbonem, Marium, & Sertorium bellanti idem Pompejus, una cum Filio, qui deinde Magnus appellatus eſt, tribuſque integris Legionibus in Piceno noſtro conſcriptis, ſuppetias tulit, adeo ad victoriam opportunas, ut illarum virtute non ſolum Carbonem Meſſanæ, Sicilia recuperata, vinculis mancipaverit, ſed etiam Domitium, Ducem Marianum, in Africa interfecerit, & regem *Hiertam*, aliis *Jarbam*, Domitii in bello ſocium, captivum duxerit, ac tandem Africa iterum, iterumque ſubacta, curru Elephantis juncto in Romano Capitolio Pompejus Strabonis Filius, patre jam pridem de Cœlo tacto, triumphaverit = Agebat = id temporis in Piceno Pompejus, *Appian. Alex. l.* 1. = *de Bello Civil.* = Habebat quidem illic prædia, verum = magis, quod Municipiis duceretur, quæ Familiæ ip= ſius ſtudioſa, & cupida erant. &c. Hæc autem Pompeii prædia in agro Firmano fuiſſe, Tullius oſtendit Philipp. XIII., ubi agens de reſtitutione facienda Sexto Pompejo, Gn. Magni filio, rerum vi ablatarum poſt fatum patris, inquit. = *Firmanum a Dolabella recuperabit, etiam & ab Antonio Tuſculanum* = Poſſetque hoc magis atque magis illuſtrari ex iis monumentis, quibus Firmani oſtendunt, Pompejum Magnum apud eos, non ſolum in valle, quæ ab eodem, *Pompejana*, hactenus appellatur, cum exercitu hyemaſſe, verum etiam & Palatium habuiſſe, atque inhabitaſſe ad Clivum Gerionis, ſive Arcis Girofalci; Sed Nummi ejus, in gratiam Picentum, præcipue autem Firmanorum cuſi, rem manifeſte declarabunt. Unum ex his exhibet nobis Theſaurus Morellianus Tabul.III. in *Familia Pompeja* n.v. pag.342. extr., in quo, quemadmodum heic repræſentatum ingenue eſt,

Ca-

Digitized by Google



Caput Romæ galeatum , cum nota denarii , & poſt caput olla anſata una in parte apparet ; in altera vero Lupa cum gemellis Romulo , & Remo ſub Ficu Ruminali , cui Picus , avis Martia inſidet , & Fauſtulus Paſtor , læva baculo paſtorali innixus , qui dexteram extendens , avem oſtendit , cum epigraphe SEX. POM. FASTLVS . ROMA . Fruſtra eruditi Viri Pompejum , cognomine *Fauſtulum* , aut *Fauſtulum* , in hacce Familia quærunt ; nuſquam enim quis iſte fuerit , indicatur , quamvis plurimi Pompejorum , *Sexti* prænomen habuerint . Havercampus ibidem , alium apud ſe dicit exſtare ſimilem nummum , niſi quod in eo non unus , ſed *clare tres Pici adparent* , *præter enim*, ut ipſe ait pag. 343., *illam mediam*, *duobus exterioribus ramis totidem aviculæ inſident* . Uterque typus fabulam reſpicit : Nam tam Plutarch. *in vita Romuli* , quam Anonym. in libro *de Origine Gentis Romanæ* , tamquam traditum a Majoribus ſuis narrant . *Ad pueros Romulum , & Remum , expoſitos prope Tybrim , Lupam lactentem , curſum flexiſſe , & Picum Martium nutriendis , & ſervandis pueris præſto fuiſſe . Indeque Lupum , Picumque Martiæ tutelæ eſſe* . Re vera tamen ex imagine Fauſtuli , baculo innixi , qui etiam *Scipio* , latine dicitur , Scipionem ipſum intelligimus , cujus dextera manus , Picum arbori inſidentem demonſtrans , pueris humo abjectis ſub Lupæ ventre , oſtendere videtur , originem Romanorum altius , & a Pico potius quam a

gemi-

Digitized by Google

geminis fratribus eſſe repetendam, utpote qui primus poſt Patrem Saturnum in Italia regnavit, ut ſuperius num. XIV. declaravimus. Is in avem, Marti Sacram, a Circe converſus dicitur, & longe ante Romulum nomen Piceno dediſſe a Silio Italico Punic. l. VIII. à V. 441.

Hoc Picus quondam nomen memorabile ab alto
Saturno, ſtatuit genitor, quem Carmine Circe,
Exutum formæ volitare per æthera juſſit,
Et ſparſit plumis croceum fugentis honorem.
Ante, (ut fama docet) tellus poſſeſſa Pelaſgis
Quis Æſis regnator erat, fluvioque reliquit
Nomen, & a ſeſe populos tum dixit Aſilos.

Et a Virgilio l. VII. æn. a V. 187.

Ipſe Quirinali lituo, parvaque ſedebat ...
Succinctus Trabea, levaque ancile gerebat
Picus Equum domitor, quem, capta cupidine Conjux,
Aurea percuſſum virga, verſumque venenis
Fecit avem Circe, ſparſitque coloribus alas;

Quia Picentes noſtri *Velitum turmas* primi invenerunt, cujus ordinis milites, Aligerum inſtar, tam equites, quam pedites, nullo armaturæ pondere gravati, huc, illucque ad turbandos hoſtes, ut ſub Q. Cædicio, & ſub Catone majori vidimus, diſcurrere conſueverant; animalium pellibus unice protecti, parmam ligneam læva geſtabant, corio bovillo ſuperindutam, ut eos exprimit Henricus Kippingius *in Antiquitat. Roman.* l. III. cap. 11., adjecta pictura ex F. Patricii p. v. *Rei Milit. Rom. Sect.* 1. *num. primo*, ut ſenſui pateat. De hujuſmodi militibus ſic loquitur Oroſius lib. IV. = Claudio Nerone, & M. Li-
= vio Salinatore Coſſ. quum Aſdrubal, Hannibalis fra-
= ter ab Hiſpaniis per Gallias ad Italiam veniret .... ab
= exercitu Romano, ignorante Hannibale, præventus,
= cum omni exercitu ſuo interfectus eſt. Diu quidem
= incertus belli eventus fuit, elephantis maxime Roma-
= nam

= nam infeſtantibus aciem, qui a militibus Romanis occiſi ſunt, quos a *Volitando Velites* vocant, quod genus
= militiæ paullo ante repertum fuerat, ut lecti agilita-
= te juvenes, cum armis ſuis poſt terga Equitum ſede-
= rent, & mox cum ad hoſtem ventum eſſet, equis de-
= ſilirent, & continuo pedites ipſi ex alia parte equiti-
= bus, per quos advecti fuerant, dimicantibus, hoſtem
= perturbarent . . . Fuit hoc prælio Pœnis Metaurus flu-
= men, ubi Aſdrubal eſt victus, quaſi Traſimenus la-
= cus, & Sena (*a*) Piceni Civitas, ut vicus ille Cannen-
= ſis. = In ſchedis meis inſcriptiones quamplurimas ſervo, ubi de militibus noſtris ſermo fit cum nota VEL aut VOL. ſive VE. Sit exemplum.

(*b*) L. VOLGATIO Q. F. VEL. PRIMO.
II. VIRO. II. QVIN. Q.
FLAMINI. DIVOR. OMNI.
P. C. EX. TESTAMENTO. EIVS
POSITA.
Q. LICINIO. CRISPINO
C. HENNIO. MAXIMO.

Vide alias apud Franciſcum Adami C. F. Cap. III. & IV. in Fragm. Firmanorum.

Apud Murat. Tom.II. Theſ. Inſcipt. Claſs. XI. p.857. num. 6. Hæc habetur,

Inſcrip. L. TERENTIO
L. F. VEL.
SIMPLEX
FIRMO PICEN
SPECT. COH.
VII. P. R.
MIL. ANN.
XXXVI.

Et

a Intellige Senogalliam. *b* Firmi extab. ubi exiguntur vectigalia.

Digitized by Google

Et Romæ in Cœmet. Priſcillæ ex Maranconio apud eundem:

D. M.

T. RAVCLENVS.
T. F. VEL. DONATVS.
FIRMO PIC. MIL.
COH. XIIII. VRB.
VINDICIS . VIX.
ANNIS . XXXVIII.
MIL. AN. XX.
FECIT HAERES.

Cl. Muratorius ad hanc ſecundam inſcriptionem ; notam appoſuit explicantem Tò VEL. DONATVS: *Velina Tribu donatus*. Sed explanatio iſta minime apta videtur lapidi illuſtrando; nam Tribui ſignificandæ non mos erat donationis notam apponere, ſed ſimpliciter Tribus ipſa indicabatur, uti in Epigrammate nuper reperto, prope novam ædem B. M. Virginis, quam dicunt *Del Divino Amore*: in baſi marmorea majoribus characteribus ita ſcriptum legitur

C. PACCIO SP. F.
VOLT. FIRMO.
TRIB. MILIT. COH. II.
ITALICAE.
PUDENS. FIL.
PATR.
KARISS.

Id

Id eſt : CAJO PACCIO , SPurii Filio
ex Tribu VOLTinia FIRMO oriundo .
TRIBuno MILITum COHortis . II.
ITALICAE .
PVDENS . FILus
PATRi.
KARISSimo .

Tò ergo DONATUS ad querneam coronam , inſcriptioni impoſitam,inter duas litt. D.M. ſcilicet Diis Manibus,referendum eſt . Ea quippe Civica appellabatur Corona , eique necti mos erat, qui Civem , aut Urbem ſervaſſet,, & dignitate cæteris omnibus præſtabat coronis : Jus enim erat ei proprium , ut illa donatus , perpetuo eam geſtare poſſet : ut ipſi ludos adeunti , Senatus , atque P. R. aſſurgeret . &c. ut videre poteris apud Montfaucon *l'Antiq. expl.* tom. IV. P. I. pag. 168. num. IV. ; & clariſſime eruitur ex verbis illis lin. IV. ante finem URB. VINDICIS Confirmatur hoc idem ex alia inſcriptione ab eodem Muratorio recitata , ubi T. TERENTIUS , dicitur *vel ſimplex* ſcilicet VELES SIMPLEX. Ne alias commemorem, quas apud Gruterum obſervare licebit . (*a*) Ad nummi typum redeamus , eum uberius explicaturi .

XIX. Non ſolum enim velitum noſtrorum pernicitatem , atque in expeditionibus militaribus promptitudinem Avis illa oſtendebat ; verum etiam ſtudium , atque ſolicitudinem , qua Picentes urgebantur pro ſalute atque incolumitate Romanæ Reipublicæ in diſcriminibus ſive belli , ſive famis , quacumque ex cauſſa , conſtitutæ . Ad quod reſpexit Ovidius in Faſtis l. III. V. 37.

Martia Picus Avis gemino pro ſtipite pugnat .

& V. 53.

Lacte quis infantes neſcit creviſſe ferino ,

Et

(*a*) Vide infra §. XXIV. ubi *veliter* expreſſe dicitur alter Firmanus Miles .

Et Picum expoſitis ſæpe tuliſſe cibos?

A Piceno enim alimenta, & pecuniæ ad ea comparanda, Romanis, ſponte etiam oblata fuiſſe, illud clariſſime oſtendit, quod habet Tullius Philip. XIII. ubi pacem diſſuadens, quam petere videbatur M. Antonius. *An cum Municipiis*, ait, *pax erit*, *quorum tanta ſtudia cognoſcuntur in decretis faciendis*, *militibus dandis*, *pecuniis pollicendis*, *ut in ſingulis oppidis Curiam Populi Romani non deſideretis? Laudandi ſunt ex hujus Ordinis ſententia* Firmani, *qui principes pecuniæ pollicendæ fuerunt*. &c. Immo & gratias iiſdem nomine publico actas fuiſſe Livius narrat, (*a*) quod ex xxx. Coloniis, (*b*) quas uſque ad II. Bellum Punicum Romani deduxerant, ſolum xviii., inter quas Firmanam recenſet, *præſidio tum Imperium Populi Romani ſtetit*; *iiſque gratiæ & in Senatu*, *& apud Populum actæ*.

XX. In nummo vero Havercampi, in quo non unus, ſed tres Pici viſuntur, tres Picentum ordines commode adumbrari poterunt, quorum primus eſt, qui Aboriginum ſtirpe ſati, ex Catone (*c*) Majori, *lingua Etruſca*, *genus ſacrum dicebantur*, in montibus vicatim ſine mœnibus habitantes, teſte Dionyſio Halicarnaſſeo ſeu, (*d*) à Pico Rege, Saturni filio, intra mœnia primum recepti, uti habetur apud Anonym. in libello *de Origine Gentis Romanæ*, ab Onuphrio Panvinio Paris. vulgato MDLXXXVI. pag. 7. ubi ait. *Alii volunt*, *eos*, *quod errantes illò venerint primo*, Aberrigines, *poſt mutata una littera*, *altera dempta*, Aborigines *cognominatos*. *Eos advenientes Picus excepit*, *permiſſos vivere*, *ut vellent*. Ob abundantem vero multitudinem, in quam ſenſim excreverant,

H

a Dec. 1. l. 2. cap. vi.
b Decad. III. l. vi. cap. xii.
c Lib. de Originib.
d L. 1. Antiq. Rom. pag. 7. Frider Sylbur. Interprete.

rant, quum extra limites, terreſtri itinere locum quærentes proficiſcerentur, terram vicinam occupaturi, Picus Martius eorum vexillo inſediſſe dicitur, cujus auſpicio *Aſculum Picenum* fundarunt, & prima gentis diviſio facta eſt inter *Firmo Picenum*, & *Aſculum Picenum*, ut eas Urbes vocant Geographi antiquiores, & Frontinus *de Coloniis*, aliique *de Limitibus* agentes. Ii primum occuparunt totum illud terræ ſpatium, quod interjacet ab Aterno fluvio, (*a*) nunc *Peſcara*, ad Æſim uſque (*b*). Deinde ad Ariminum; Unde Lucanus l. I. Pharſal. à V. 248.

. . . . Melius fortuna dediſſet
Orbe ſub Eoo ſedem, gelidaque ſub Arcto
Erranteſque domos, Latii quam clauſtra tueri &c.

Ariminenſes ſic inducit conquerentes. Poſtmodum uſque ad Cæſenam, (*c*) & demum uſque ad Ravennam (*d*); Ab Appennino vero uſque ad Mare ſuperum, ſive Hadriaticum; Factumque eſt Picenum Suburbicarium, & Annonarium, de quibus vide *tabulas Geograph.* Samſon. Ex iis a M. Curione Dentato avulſa pars fuit, & ad mare ſuperum, juxta Campanos, & Samnites, a Surrento ad Silarim uſque amnem deducta, quæ Picentinorum nomen, cum Picentibus non confundendum, adepta eſt (*e*) Virgilius huc reſpexiſſe videtur, quum fabulis hiſtorias nectens æn. l. v. a V. 146. cecinit.

Gens eadem; quæ te, crudeli Daunia bello
Inſequitur, nos ſi pellant, nihil adfore credunt;
Quin omnem Æſperiam penitus ſub ſua juga mittant,
Et Mare quod ſupra teneant, quod alluit infra.

Po-

a Strabo l.v. Plin. l. III. c. XIII.
b Silius Ital. ubi ſupra §. XVIII.
c Annal. Cæſen.
d Eutrop. l. II., & Procop. de Bell. Goth.
e Cellar. l. II. c. IX. Geogr. Caſaub. & Xiland. ad l. v. Strab.

Potuit etiam, qui eundem Havercampi Nummum cudit, ad triplicem Romæ natalem reſpexiſſe: nempe ad primum Jani, & Saturni temporibus; de quo Virgilius æn. l. VIII. a V. 356.

Hanc Janus Pater, hanc Saturnus condidit Arcem:
Janiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.

Ad ſecundum, videlicet, ſub Evandro, Arcadum duce, de quo idem Virg. l. VIII. a V. 313.

Tum rex Evandrus Romanæ conditor Arcis. &c.

Ad tertium demum, nempe XV., aut XVI. ætate poſt ſecundam Urbem, Romulo, & Remo Conditoribus: quare Dionyſ. Halicarn. l. I. Antiq. Rom. ait *Quod ſi longius ſpectare, & conſiderare velis, & tertia quædam Roma, his antiquior invenietur, quæ condita fuit, antequam Æneas & Trojani in Italiam venirent, ſed utrum in eodem loco fuerit, in quo noſtri ſæculi urbs incolitur, an vero alius locus; quum ille* (Antiochum Syracuſanum intellige, Scriptorem vetuſtiſſimum) *rem iſtam incertam reliquerit, ne ego quidem conjicere poſſum*. Romam enim ex his tribus nullam ſine Picentibus invenies: non primam quidem, quia, ut paullo ſupra vidimus, eam Picus ipſe Civibus replevit: Non ſecundam; quia Faunus, Pici filius, teſte Dionyſio (*a*) Halicarnaſſeo, Evandrum ex Pallantio, Urbe Arcadiæ, profugum ſuſcepit. Nec deinde Trojani Rutulos ſine Picentibus vicerunt, qui tunc Aboriginum nomen ſervabant. Vide Livium l. I. Dec. I. C. I. extr. Non demum tertiam, quia ex finitimis Populis, eodem Livio teſte ibidem cap. IV., totum robur accepit.

XXI. Alluſerit tamen Sex. ille Pompejus ad quamli-

 bet

a Dionyſ. Halic. Faunum dicit filium Martis, ſed Pici filium eum dixit Virgilius, ut ſupra vidimus §. XIV. nemine ex Latinis Hiſtoricis diſcrepante.

bet ex his conjecturis, ſive ad aliam quamcumque, ſemper ad gloriam Picenæ Gentis cuſum nummum illum, dicendum erit, quæ, ut ſuperius vidimus, (a) *Familiæ ſuæ* ſtudioſa, & cupida erat. Inter eos autem, qui ſe Pompejanis partibus intime addixerant ex Picentibus, Cœlia Gens fuit, ex qua ortum Lactantium vidimus diſſ. I. §. IX. & infra confirmabimus §. XXI., utpote quæ inter alios M. Cœlium habuit, Quinti Pompeii in Africa contubernalem, Tullio teſte in oratione pro eodem M. Cœlio, de quo ait = Quum autem paullum roboris accepiſſet ætati = in Africam profectus eſt, Q. Pompejo Proconſ. Contubernalis, caſtiſſimo viro, atque omnis officii diligentiſſimo. In qua Provincia cum res erant, & poſſeſſiones paternæ, tum etiam uſus quidam provincialis, non = ſine cauſſa huic ætati tributus. &c. = Idem M. Cœlius, bello Civili Cæſarem inter & Pompejum exorto, quum a Pompejo defeciſſe viſus eſt, re vera tamen id eo animo fecit, ut Curionem, gentilem, & familiarem ſuum, cujus in Africa Quæſtor fuerat, (b) ære alieno gravatum, & a Cæſare ſuarum partium propria pecunia factum, ad Pompejum reduceret, ut ſcite obſervat Victorius ad Epiſtolam ejuſdem Cœlii, ad Ciceronem datam, quæ eſt ultima lib. VIII. famil. Ciceron. In ea enim non ſolum conqueritur, ſe Curionis amore, & Appii Claudii odio partes potius Cæſaris, quam Pompeii ſecutum eſſe, ſed inſuper addit. *Neque hæc dico, quod diffidam huic cauſſæ: ſed, crede mihi, perire ſatius eſt, quam hoc videre. Quod ſi timor crudelitatis veſtræ non eſſet, ejecti jam pridem hinc eſſemus. Nam hic nunc, præter fœneratores paucos, nec homo, nec ordo quiſquam eſt, niſi Pompejanus. Equidem jam effeci, ut maxime plebs, & qui antea*

a §: XVIII. Vide etiam in Muſeo Corronen. tab. XLV. eandem effigiem in Corneola.

b Cæſar. l. II. de Bello Civili.

tea noſter fuit , populus , veſter eſſet . Cur hoc inquies ? Immo reliquias expectant . Vos invitos vincere coëgero . Exitus ejus acta probavit ; nam Prætor Romæ quum eſſet , Cæſare II. & P. Cornel. Servilio Coſſ. , ob cauſſam Debitorum , male ſuſceptam , Senatu prohibitus, & concionari , quum conaretur de roſtris deductus , (a) *ad Cæſarem, ut dictitabat, pervenit Turios ; ubi quum quoſdam ejus municipii ſollicitaret , Equitibus Cæſaris , Gallis , atque Hiſpanis , qui eò præſidii cauſſa miſſi erant , pecuniam polliceretur , ab iis eſt interfectus .* Quæ , etſi hactenus prolixe a nobis dicta fortaſſe viſa ſint , nunc tamen ſi æqua expendantur lance , ac remotis præjudiciis omnibus expendantur, liquido conſtabit , quam opportuna ſint ad intimum trium primorum fundamentorum contrariæ opinionis vitium demonſtrandum . Narratis enim Firmanorum rebus geſtis, ac Cœliæ familiæ ex Italia noſtra in Africam commigratione , ac poſſeſſione prædiorum (quibus ignoratis facile erat , adverſariorum conjecturas ſibi aſſenſum extorquere) locus jam non erit , ut ex hac parte negocium nobis amplius faceſſere geſtiant contrariæ opinionis propugnatores . Hinc quippe Lactantii noſtri in Africam , ſive adoleſcentis, ſive juvenis profectionis occaſio facile eruitur ; neque a vero omnino abhorret , quod ſi Siccam in Numidia ad audiendum Arnobium is ſe contulit , aliquem etiam ex fratribus ejus illuc ſecum adduxerit , ex quo Cœlius Aurelianus , Medicus clariſſimus originem traxerit , qui inde Siccenſis appellatus fuerit : argute enim obſervat Raineſius adverſus Voſſium , Sæculo Eccleſiæ V. Cœlium Aurelianum vixiſſe , *quum linguæ Latinæ puritas Europearum gentium idiotiſmis , & Hunnorum , Gothorumque barbarie plane*

a Cæſ. de Bello Civil. l. 111.

ne decoxiſſet (*a*) ; Quod certe obſervare etiam debuiſſet Heumannus , quum ex Fabricio Civem , ſeu Lactantii noſtri municipem eundem Cœlium Aurelianum fuiſſe ſuſpicatus eſt . Eidem itaque , & Nourryo interrogantibus , quomodo juvenis in Africam trajecerit Lactantius , reſponderi poterit , eadem ratione id contigiſſe , qua M. Cœlius , Romani Civis filius , adhuc adoleſcens in Africam , ubi paternas poſſeſſiones habebat , ſe contulit; quamvis hic , id fecerit , quia Q. Pompeii erat Contubernalis; Lactantius vero noſter , quia vel Arnobium ibi docentem audire voluit , vel ad perſecutionem Diocletianeam declinandam ibidem ſe recepit . Id etiam Langletio dicenti , non eſſe nimirum Romanis uſitatum , adoleſcentes in Africam mittere , ſatis eſſe poterit ; non enim mortuo M. Cœlio , familia hæc extincta eſt , ſed ad Lactantium uſque deſcendentes ab ea enumerabimus ex Faſtis Capitolinis , quum infra de conſanguineis ejus agemus .

XXII. Integram conjecturarum machinam , ex Africanis Lactantii ſtudiis excitatam , collabaſcere jam undique vidimus ; nunc ad IV.m ejuſdem opinionis fundamentum colluſtrandum accedamus . Num ſaltem melius , ac prudentius hoc jactum eſſe putatis , Lectores optimi ? ſed attendite , quæſo , quam parum ſibi conſtans ſit , & quomodo in caput recidat Architecti . *A Firmo* inquit , Firmanus *non autem* Firmianus *fuerat appellandus* . Bene , optime . Sed dic a Firmio quomodo fuiſſet nuncupandus ? Equidem puto te reſponſurum , quod nuncupatus fuiſſet Firmianus . Adi ergo ad Lexicographos quoſcumque velis , atque ab eis diſce , Urbem illam , quæ quondam Pici regia fuit prope Firmanorum Caſtellum ,

---

a Apud Fabricium Bibl. Latina l. IV. c. XII.

lum , & Firma Romanorum , ex antiquioribus Coloniis una , a Græcis Firmium , a Latinis Firmum , & Firmo Picenum , dictam fuiſſe , ut infra demonſtrabimus . Heic meminiſſe juvat , me a Patruo meo , [quem loco amiſſi in pueritia Parentis , altorem , educatorem , præceptoremque habuiſſe me , D. O. M. gratias plurimas reddo , & heic grati animi cauſſa laudo ,] audiviſſe , Lactantium in Bithynia primum Firmiani nomen a patria induiſſe , quum illuc ab Imperatore Diocletiano ad oratorias litteras docendas accitus fuit . Quemadmodum enim Diocletiano placuit , ſibi nomen a patria ſua Dioclea deſumere , ſic Lactantio a natali Urbe cognomen indidit , ut Græcis , apud quos degere debebat , morem ipſe gerere velle videretur , quibus conſuetudo erat , apud ſe agentes , maxime ſi aliqua fuiſſent laude digni , appellativo potius quaſi per anthonomaſiam , quam proprio nomine appellare : quo deinceps , ad genium illorum vulgato , prænomine Lucii , ac Cœlii nomine prætermiſſis , apud exteros non ſolum , ſed etiam apud ſuos inclaruit ſimul , & innotuit : Non aliter ac eidem Imperatori acciderat , qui quamvis Aurelius Valerianus Diocles ſemper appellatus fuiſſet , ut Nicomedientium tamen indoli ſeſe accommodaret , Romani Imperii Clavo potitus , Diocletiani nomine , a Patria Dioclea deſumpto , cæteris omiſſis , ubique Gentium eſt appellatus . Adeo quippe , illis temporibus mos iſte Imperatoribus placuit , ut Galerius Maximianus , regni particeps a Diocletiano factus , ex Dacia Ripenſi , haud longe a Sardica in Illyrico , oriundus , etiam Romani Imperii nomen immutare voluerit , *ut non Romanum Imperium , ſed Dacicum cognominaret* , eodem Lactantio teſte in *lib. de Mortib. Perſecut. cap.* XXVII. *extrem.*

XXIII. Non me latet eruditiſſimum Voſſium dixiſſe ,

(a) La-

(*a*) *Lactantius*, *cui patria Firmum Picenum* Φίρμιον *corrupte vocatur in codicibus Ptolomæi*. Sed omnino gratis, corruptum eſſe vocabulum illud, author iſte aſſeruit, nec aliquem, qui cum ipſo faciat, ante, vel poſt eum invenire poteris; ſed potius in omnibus Ptolomæi tam MSs., quam editis libris, ſive Græcis, ſive Latinis characteribus exaratis, *Firmium* conſtantiſſime legitur, quemadmodum Geographi, & Lexicorum ſcriptores etiam teſtantur.(*b*) Unum ex his Hoffmannum eligo, cujus verba hæc ſunt. = Firmium Ptolomæo, & Pro= copio, Firmum Ciceroni, & Straboni l. v. Populi = Firmani Plinio III. C. XIII., Firmiani Livio, aliiſ= que; Idem eſt Firmum cum Firmanorum Caſtello; = ſed in hac acceptione plurimi errarunt. Ptolomæus = enim inter mediterraneas Φίρμιον recenſuit, quod = contra Pomponium Melam notandum eſſe exiſtimavit = Cellarius l. II. cap. IX., utpote qui tantummodo Ca= ſtellum Firmum refert, oppidum cum caſtello con= fundens, quæ Strabo optime diſtinxerat. Cum oppidis = enim, quæ in ora καί Φίρμον Πικηνον *etiam Firmum* = *Picenum* recenſet, quia non longe a mari recedit. = Abraamus Ortelius in Theat. O. T. *de Marca Anconi*= *tana* loquens ait = quondam Marca Firmiana, ab = ejus oppido dicta fuit, ut Blondus prodit &c. Hactenus Hoffmannus, qui cum tot laudet Geographos, pro omnibus, ad quos adverſarios provocamus, interea ſatis eſſe poterit.

XXIV. Ne autem ſcriptis duntaxat libris utar, en exhibeo inſcriptiones vetuſtiſſimas, quarum primam ex Gru-

a L. II. de H Rer. Latin. cap. VII.

b Jo: Jacob. Hoffman. in Lexic. univ. tom. II. V. Firmium.

Grutero (*a*) depromſi; alteram vero ex Maxochio (*b*)

PRIMIGENIVS . AVG. L.
TABVLARIVS . PATRIMONII .
TVTOR .
DIIS MANIBVS
C. FLAVII C. F. QVIR.
FIRMIANI VIXIT ANN. V.
M. IIII. DIEBVS. XI. ET
ATENNIAE ADI (*c*) MATRI
V. A. XXI.
ET SORORI . SVAE . FECIT.
ATENNIA . THIAS . ET .
A. FVRIVS VELITER .

L. CORNELIO FIRMIANO .
Q. R. AVILA . VETERANO .
COH. III. P. R. MISSO
HONESTA . MISSIONE .
Q. V. A. XXXXV. H. EX
TESTAMENTO IPSIVS POSVE=
RVNT .

Nec viris ſolummodo cognomentum hocce derivatum eſt a Patria Firmio, ſed fœminis quoque, atque Oppidis illius ditionis. Quantum ad fœminas, id probatum reperies ex duabus aliis inſcriptionibus, quarum primam ex Fabretto (*d*), ſecundam ex (*e*) Maranconio heic repræſento.

a Tom. 1. Theſ. Inſcrip. p. III. pag. 190. edit. Amſtel. an. 1707. in Baſi, cui vel Urna Cineraria, vel Statua impoſita fuiſſe videtur.

b Maz. C. XIV. pag. LX. Epigram. Antiquæ Urbis. Extat in Domo Epiſcopi Sypontini apud SS. Apoſtol.

c Jadi Gudius

d Fabr. Inſcript. 83. pag. 20.

e Maranc. *Delle coſe Gentileſche &c. pag.* 453.

SALVSTIAE . ƆL.
FIRMIANAE PIAE
VIX. ANN. XLIIX.
C. SALVSTIVS . HEROS.
OL. DD.

. . . .


FIRMIANAE FILIAE
QVAE VIXIT ANN. XV.
MENS. SEX. DIEBUS XV.

BENEMERENTI . IN.
PACE


Quantum autem ad oppida, Mariſottus lib. xxiv. Hiſt. Orbis Maritimi ait: *Firmum cum Portu ad oſtia Læti, Tennæ, & Aſii, ubi et Portus Firmianus. Oppidum Firmum, etiam Firmium dicitur, & Colonia Auguſta Firma*. Item viros ſanctitate claros, Firmo oriundos, hocce cognomine appellant. Vide Acta SS. Bollandi die xi. Martii, ubi S. Firmiani Ab. natalis dies recenſetur. Apud Wadingum, alioſque Seraphicos Scriptores de S. Firmiano, cui nomen *Jo: Alvernicola* fuit. Item in antiquo Martyrol. Sancti Hieronymi ad diem xi. Martii, & xxviii. Aprilis apud eoſdem Bollandianos tom. ii. Martii a pag. 33, ad 97.

XXV. Præterea Dalmatæ, qui oppoſitam Adriatici Maris oram tenent, omneſque cum ad ortum, tum ad Meridiem finitimæ Gentes, etiam nunc Firmanos Cives aut *Firmiotti*, aut *Firmian*, vernacula ſua nuncupare ſolent; & qui apud ipſos ex noſtratibus degunt, non proprio nomine, ſed appellativo, quamvis corrupto vocabulo, ut plebejorum mos eſt, ab eis appellantur *Firmià*,

mid, quod egomet non raro obſervavi in Oppidis, atque Civitatibus ad Mare in vicinia Urbis noſtræ ſitis, ea præſertim parte, qua Aſculum, & ad Brutios pergitur. Quamobrem mirari non ceſſo Heumanni incautum, ne dicam impudentem loquendi modum, quo Firmo oriundos, *Firmianos* appellatos Priſcis fuiſſe negat, ea ratione, quia Cicero, & Plinius uterque, eos Firmanos appellaverunt; probans id, quod extra controverſiam eſt; & ſilentio prætermittens altiſſimo id, quod ab eodem erat evidentiſſime demonſtrandum; Quare, quamvis recto judicio ſit uſus circa illorum opinionem, qui contra Mss. & editorum fidem aſſeruerunt, *Formianum* dicendum eſſe potius, quam *Firmianum* Lactantium, nullo adducto teſtimonio, præter Ptolomæi Flavii Anconitani, id marte ſuo excogitantis, dicens: *idem eſſe, hanc opinionem recitaſſe, ac eandem refutaſſe, quia ut ipſemet Lactantius ait: turpe eſt hominem ingenioſum id dicere, quod ſi neges, probare non poſſit*. Turpius tamen ipſe erravit id negando, quod Tyrunculis notum, atque exploratum eſſe deberet. Ideoque Lactantii noſtri verba illa eidem plane quadrare aptius videntur, nimirum: *Quum debeant incerta de certis probari, hic probationem ſumpſit ex incerto ad evertendum quod erat certum* l. 2. C. 8. D. I., Nam ultraquamquod, ut quiſque de ſe videre ſemper poterit in Lexicis, Civitas noſtra tam *Firmum*, quam *Firmium* nuncupata antiquitus fuit, nonne ſi ſemper *Firmum* dicta fuiſſet, *Firmianus* ab ea appellari poterat Lactantius juxta Heumanni effatum? Utique id negabit nullus, qui poſtremam ejuſdem Heumanni rationem perpendat; ſi enim ab adjectivo nomine *Firmus*, *Firma*, *Firmum*, facta ſunt nomina ſubſtantiva, *Firmus*, *Firmius*, *Firmicus*, *Firminus*, *Firmilianus*, *Firmianus*, ſicuti a *Fauſto*

I 2 *Fau-*

Digitized by Google

Fauſtus, *Fauſtulus*, *Fauſtinus*, *Fauſtianus* & cætera, ab eodem ad nauſeam uſque recenſita, quare ab oppido, cui *Firmum* nomen proprium erat, eadem ipſa nomina derivari non poterant? Igitur ipſe ſe expediat ab hiſce argumenti noſtri laqueis, quoniam in eos ipſe ſeſe injecit, nec ultra audeat nobis negocium hac in re adeo explorata faceſſere.

XXVI. Quæ cum ita ſint, neſcio quonampacto videri poſſint firma, & valida colluſtrata hactenus fundamenta, a nobis alte diſcuſſa, & penitus everſa, ad prudentis judicii pondus ſuſtinendum, niſi ſua ſponte velint falſa intelligere, & vera neſcire. Hoc equidem ſcio, quamplurimos non infimi ſubſellii Viros, qui de Lactantii patria diſputarunt, eum natione Italum, patria Firmanum aſſeruiſſe, non ſolum antiquiſſima ſuorum Gentilium conſtanti traditione, verum etiam ea firmiſſima ratione ducti, quia S. Hieronymus Dalmata, Firmianoque noſtro fere ſuppar ætate, & cujus natale ſolum anguſti Adriatici maris ſinu a Civitate noſtra diſjungitur, ſeparaturque, alia Lactantio noſtro non aſſignata patria, ut cæteris, pene omnibus, quos in eodem libro recenſet, Scriptoribus, Viriſque illuſtribus, de more aſſolet, ſuorum ritu, quem ſupra laudavimus, eum antonomaſtice *Firmianum*, *qui & Lactantium* appellat. Inter eos autem, quos ipſe vidi, Lactantium Firmianis Civibus adnumerantes, ii ſunt: Ferdinandus Ughellius *Ital. Sacr. tom.* 2., Gerardus Johannes Voſſius *de Hiſt. Latin. l.* 2. *c.* 7., Laurentius Beyerninck *Th. V. H. tom.* 7. *ſub titul. Theol. Chriſt.*, Cellarius *in Præfat. ſuæ Edition.*, Gugliemus Cave *hiſt. lit. Script. Eccl. an.* 303., Wolf. *lect. memorabil. Cent.* v., Centuriatores Magdeb. *Cent.* 4., Johannes Bunonius *in notis ad Geograph. Cluverii l.* 3. *cap.* 37. *num.* x. G. Mercator. *Atlant. Verb. Fermo*, L. Al-

Alberti *deſcriz. d'Italia*, Thom. Pope-Blount *Cenſur. Celeb. Auct.* M.Bruxen-la Martiniere *Diction. Geog.* Proderblond. *Geogr. Blavian.*, Robertus Steph. *in Theſaur. L. L.*, Alexander Borgia, Vir in Divinis ſcripturis, ac in ſæcularibus litteris egregie doctus, Firmanæ Eccleſiæ Archiepiſcopus *tom. IV. Homil. a ſe* eloquentiſſime partim latine, partim Italice ann. MDCCXLIV. dictarum, & nuperrime Jo: Georgius Walchius *in ſua Diatribe de Lactantio*, *ejuſdemque ſtylo* inſcripta, & editioni Lactantii Operum, a ſe adornatæ, præpoſita, in cujus II. cap., quod *de Lactantii Patria*, *&* *ortu* titulum præſefert, plurimorum hac de re prolatis ſententiis, judicium ſuum hiſce verbis pronunciat. = Nos ita ſentimus, atque ita in animum inducimus, Lactantium in Italia natum fuiſſe, nec Firmiani cognomen ex alio caſu, aut cauſſa habere, quam a Firmo, Piceni oppido, deductum. Lactantii nomen eſt familiæ, quoniam Veteres etiam aliorum mentionem habent, qui hoc nomen ferunt; Ad hæc, mente comprehendere non poſſum, quomodo quis a lactea eloquentia cognominari poſſit Lactantius? Quænam affinitas? quænam analogia inter lactea eloquentia, & Lactantius?

= Firmianus habent Codices ſcripti, & Authores, qui præſtant antiquitate ſua; Quod nomen optime a Firmo, item Firmio Piceni oppido formatur; Id enim in moribus habuerunt, ut cognomina non ſolum Ducibus, quorum militia clara erat, ab Urbe, vel Regione indiderint, ſed alios quoque a patria cognominatos eſſe voluerunt. C. Marcius a Cariolis oppido captis, dictus eſt Coriolanus; Livius II. c. 33. Dionyſ. Halicarn. Lib. VI. pag. 414. Plutarchus in vita pag. 214. Florus lib. I. c. 11. M. Valerius Corvinus a Meſſena in Sicilia urbe, *Meſſena* primum, = de-

Digitized by Google

= deinde, mutata littera *Meſſala*; Plutarchus vit. Bru-
= ti P. 1009. L. Æmilius Mamercinus *Privernus* a Pri-
= vernale bello. Livius lib. 7. c. 15. de aliis res cla-
= riſſima eſt, quamvis illis uſura nominum horum ma-
= gis fuerit privata.

= Addo ſtylum, & elegantiam Lactantii, quæ opinio-
= nem meam magis ſtabilit, & confirmat, originem ejus
= ex Latio, ſede cultioris, & ornati ſermonis; minus
= autem ex Africa eſſe petendam. Patria, & natura
= ſtylum, ac dicendi facultatem, & nitorem juvant, &
= provehunt; & ſermo veteris Latii aliorum, qui ex-
= tra illud oriundi ſunt, multum præſtat, quamvis
= alioquin fuerint clariſſimi; & adſecuti ſint ſingularem
= ingenii, & doctrinæ gloriam. Dictio Afrorum fuit
= minus elegans, horrida; puritatis non adeo diligens,
= quod ex eorum monimentis illuſtrari poteſt, qui inter
= eos nituerunt ingenio. Cl.Fabricius B. lat. lib III. c. 15.
= pag. 638. de Marciano Capella : *ſed ſcripſit, ut eſt mos*
= *Afrorum, dictione aſpera, ſemibarbara, quandoque,*
= *& difficili ſatyram proſa oratione*: adde Voſſium *de*
= *analog. lib.* 1. *c.* 7. Lud. Viv. *lib.* 3. *de ratione dicen-*
= *di*. De ſtylo Arnobii, Lactantii Præceptoris, Hierony.
= ad Paulinum Epiſt. 13. *Arnobius inæqualis eſt, &*
= *abſque operis ſui partitione confuſus*; & ſummus Vir
= Spanhemius *hiſt. Eccl. t.* 1. dicit, ſtylum ejus ſapere
= dictionem Africanam, unde *Buſticetum, germanitas,*
= *differtas, improbe, commetari, coimbibere, conducere*
= *maledicta.* Adde Du-Pin. *Bibl.Auth.Eccl. tom.*1.*p.*203.
= Aliter vero Caveus H. L. p. 80. *De Tertulliano, ejuſ-*
= *que eloquentia* Lactantius Inſtit. lib.v.c.1. *Tertullianus*
= *fuit omni genere litterarum peritus, ſed in eloquendo*
= *parum facilis, & minus comptus, & multum obſcu-*
= *rus fuit*: meretur latinitas Tertulliani peculiare opus,

quo

= quo illa explicari, atque illuſtrari poſſit. Huc etiam = pertinet Cyprianus, confer Du-Pin *Bibl. t.* 1. *p.* 173. = 174. Item Apulejus Madaurenſis, ut de aliis taceam. Hactenus Walchius, a quo eadem expenduntur *in Hiſt. crit. latinæ linguæ*, aucta ſecundis curis, & Jacobo Facciolato paucis abhinc annis ab eodem Walchio nuncupata.

XXVII. Neque heic mihi diſſimulandum eſſe puto, quod Heumannus contra hanc Walchianam confirmationem, a Lactantii ſtylo petitam, reponit, ut ex facili reſponſione magis atque magis appareat vanitas ſuarum conjecturarum, quæ ab eo ſunt propoſitæ, ut ſupra vidimus §. III. hujus Diſs. Reſpondeo igitur nihil exemplis a ſe adductis, confeciſſe Heumannum ad Walchii confirmationem ex Afrorum ſtylo depromptam, vel in minimo labefactandam; potius ex iiſdem nos illam apte illuſtrare poſſe contendimus, & ut eodem ordine procedamus, quo ipſe uſus eſt: univerſus Philologorum ordo, & qui certatim collaudant Terentii Africani puritatem latinæ dictionis, probe norunt, illam non acquiſiviſſe Terentium in Africa, in qua natus erat, ſed Romæ, quo adoleſcens admodum pervenerat, & ubi quum Terentii Lucani libertus eſſet, ab eodem eruditus, & libertate donatus fuit: Quinimo Cicerone, Varrone, ac Quintiliano teſtibus, Lælii, atque Scipionis Africani opera eum in ſcribendo adjutum, atque expolitum didicimus; quam famam, ut bene obſervat Hoffmannus, ipſemet Terentius augere viſus eſt in Prologo *Adelphorum*, in quo non niſi leviter ab hac nota ſe purgare conatur; quapropter etſi natione Africanus, non tamen dictione, aut eloquentia, ſeu ſcribendi ratione dici poteſt, quæ tota quanta Romana eſt. De D. Cypriano, ejuſdemque ſtylo, propter Lactantii authoritatem in re, de qua judex merito

rito dici poteſt, nihil aliud reponam, niſi id, quod ipſemet Lactantius ait paullo ante recitata ab Heumanno verba, videlicet: *Unus igitur præcipuus, & clarus extitit Cyprianus*, ubi nollem ex hoc uno flore, hortos ſibi inſtruere poſſe, cogitaret Heumannus: tum maxime, quum in eo peregrinitatem deprehenderint Daniel Georgius Morhoſius *de Patavinitate Liviana cap. IX.*, & ſeq; Chriſtoph. Daumius *l. de Cauſis Amiſſæ eloq.* Du-Pinius *in Bibl.*, ubi etiam verba quædam recenſet duriora, & minus latina. Vide alia apud Dodwellium *in diſſertationibus Cyprianicis*, atque paſſim in annotationibus a Johanne Fello recognitis, & illuſtratis. Ab his eloquii notis tam longe abeſt Lactantius noſter, ut nullus ex Eccleſiaſticis Scriptoribus ſit eo proximior in puritate latini ſermonis Cæſari, Ciceroni, & Cornelio Nepoti, ut infra viſuri ſumus (*a*). Ad Auguſtini autem, aut Optati Milevitani, aliorumque Afrorum exempla, nihil a nobis reponendum eſt; ſed potius Heumannum ad Philologorum judicium, ad quod nos provocat, relegandum; nullus enim eſt, aut aliquando fuit in eorum ordine, qui multum *Africitatis*, ut cum Ludovico Vives loquar, in eorumdem operibus paſſim non offendat.

XXVIII. Fundamentis ergo, quibus innituntur Authores negantes, Firmianum Italum eſſe ad ultimum uſque lapidem iterum iterumque convulſis, quid aliud ſupereſt niſi audire Heumannum palinodiam recantantem? Ipſe ſiquidem, ſe eam recantaturum ſpopondit, quoties id, factum videret firmiſſimis argumentis, vel teſtimoniis. Jam vero utroque refutationis genere, quod ipſe optabat, equidem, niſi mea me fallit opinio, mihi videor hactenus confeciſſe. At ſi adhuc victas dare manus recuſat,

(*a*) Diſs. XXI.

ſat, id mihi explanet, quod ipſemet Lactantius de Gentilibus ſuis ait lib. I. Divin. Inſtit. cap. XVIII. a ſeg. 8. ubi Græcorum in conſecrandis hominibus vanitate deriſa, ſic ſtatim proſequitur, de Romanis loquens. *Quid noſtri? Num ſapientiores? qui Athleticam quidem virtutem contemnunt, quia nihil obeſt; ſed regiam, quia late ſolet nocere, ſic admirantur, ut fortes, & bellicoſos Duces in Deorum cœtum locari arbitrentur*. Ii autem, qui *Noſtri* heic a Lactantio vocantur, Romani ſunt; ſiquidem ſeg. II. exemplum affert Scipionis Africani, qui apud Ennium ait:

Si fas cædendo cæleſtia ſcandere cuiquam eſt:
Mi ſoli cæli maxima porta patet.

Nam is non ſolum revocatum ex Italia Annibalem apud Zamam Urbem, Elephantis in fugam actis, cæſiſque quatuor Carthaginenſium millibus, ſuperavit, & Africanus a devicta Africa dictus eſt; ſed inſuper victis Carthaginenſibus duriſſimas leges impoſuit, quas lege, Lector, apud Livium Dec. III. l. x. cap. XII., & XXVIII. Apud Eutrop. l. III. H. Rom. &c., indeque judica, an Scriptor Africanus, qualem aliqui, hiſtoriarum penitus ignari, Lactantium dicunt, inter ſuos recenſere potuiſſet illos, qui tamquam Deum conſecraverant tam ſeverum, tamque immanem Africæ Vaſtatorem?

XXIX. Hinc accedas velim ad Cap. XXI. ejuſdem lib. I. a ſeg. 4., ubi Lactantius de ſuis Civibus ſermonem iterum inſtituens, poſtquam ferarum gentium ſacrificia, humano ſanguine fœdata deploraverat, ſic locutus eſt: *Sed de barbaris non eſt adeo mirandum, quorum religio cum moribus congruit*. NOSTRI VERO, *qui ſemper manſuetudinis, & humanitatis gloriam ſibi vindicarunt, nonne ſacrilegis his Sacris immaniores reperiuntur? Hi enim potius ſcelerati ſunt habendi, qui,*

K *quum*

quum ſint liberalium diſciplinarum ſtudiis expoliti, ab humanitate deſciſcunt, quam qui rudes, & imperiti ad mala facinora bonorum ignoratione labuntur. Apparet tamen, antiquum eſſe hunc immolandorum hominum ritum: ſiquidem Saturnus in Latio eodem genere ſacrificii cultus eſt; non quidem ut homo ad aram immolaretur, ſed ut in Tiberim de ponte Milvio mitteretur.

XXX. Explicet mihi, oro, obteſtorque Heumannus quomodo, quave ratione de Africanis dici poſſit, quod *ſemper manſuetudinis, & humanitatis gloriam ſibi vendicaverint? quod liberalium diſciplinarum ſtudiis fuerint expoliti*, & quod *barbaris nationibus* non fuiſſent a Lactantio accenſendi? Ratione probet, exemplis, authoritatibuſque confirmet; & ſtatim ſuæ deſperatæ cauſſæ me habebit aſſertorem. Sed ecquando hoc præſtare poterit adverſus tam clara, tamque manifeſta ejuſdem Lactantii de ſuis Civibus teſtimonia? Inter eos quippe eum natum, educatumque fuiſſe dicendum eſt, quos ipſe *noſtros* appellat, qui præter Italos, alii eſſe non poſſunt. En verba a capitis exordio repetita = Diximus de Diis = ipſis, qui coluntur. Nunc de Sacris ac Myſteriis eorum = pauca dicenda ſunt. Apud Cyprios humanam hoſtiam = Jovi Teucrus immolavit, idque ſacrificium poſteris = tradidit: quod eſt nuper Hadriano Imperatore ſublatum. Erat lex apud Tauros, inhumanam, & feram = gentem, ut Dianæ hoſpites immolarentur: & id ſacrificium multis temporibus celebratum eſt. Galli = Eſum, atque Teutatem humano cruore placabant. = Ne *Latini quidem hujus immanitatis expertes fuerunt*, = ſiquidem Latialis Juppiter etiam nunc ſanguine colitur = humano. Quid a Diis boni percantur, qui ſic ſacrificant? Aut quid tales Dii hominibus præſtare poſſunt, = quorum pœnis propitiantur? = &c. Quæ ſuperius recita-

citavimus, quorum ſenſus eſt: Non miror hæc barbaras feciſſe gentes, miror eadem a noſtris perpetrata eſſe, qui ſemper manſuetudinis gloriam ſibi vendicarunt, quique liberalibus diſciplinis floruerunt. Attamen antiquum hunc immolandorum hominum ritum, apud eos negare non poſſum: Siquidem Saturnus in Latio eodem genere Sacrificii cultus eſt. Ad hæc autem reſpexiſſe Macrobius l. 1. Saturnal. cap. VII. videtur; Nam is etiam de eodem ſacrificio loquens, ac de more miſſitandi per Saturnalia cereos ait: *Alii cæreos non ob aliud mitti putant, quamquod hoc principe ab incomi, & tenebroſa vita, quaſi ad lucem, & bonarum artium ſcientiam editi ſumus.* Italus quippe fuit Macrobius, Patria Parmenſis, ut Ricciolius tradidit in *Almageſto.* Temere ergo, & contra Lactantii teſtimonium agunt, qui eum Afrum dicunt, quum ipſe Afros nec nominet inter eos populos, inter quos Gentiles ſuos bonarum artium ſtudio expolitos, & humanitatis gloria florentes, memoraſſe certum eſt, barbaris quibuſvis nationibus excluſis. Inhumanos autem fuiſſe habitos a Lactantio populos omnes, quos in laudatis verbis recenſuerat, præter Latinos, dubitari non poteſt: nam de Cypriis, & Tauriis clariſſimum eſt, nec probatione indiget, inhumanas eſſe, feraſque gentes. Gallos vero a Romanis inter barbaras, immaneſque Gentes, una cum Afris, & Hiſpanis annumerari conſueviſſe, etiam poſtquam Reipublicæ Romanæ ſubacti fuerant, verba Ciceronis oſtendunt, quibus Quintum Fratrem lib. 1. Epiſt. 1. ſic compellat: *Si te ſors Afris, aut Hiſpanis, aut Gallis præfeciſſet, immanibus, ac barbaris nationibus: tamen eſſet humanitatis tuæ, conſulere eorum commodis, & utilitati &c.* En igitur inductione demonſtratam excluſionem barbarorum, de quorum immanitate mirandum non eſſe, Author noſter aje-

 bat,

bat, ſimulque declaratum, inter Latinos Populos, quales olim Itali omnes dicebantur, teſte Dionys. Hal. l. 1. Antiq. Roman., Lactantii noſtri incunabula eſſe perquirenda, ut appareant, qui nam illi ſint, quos *noſtros* ipſe appellat, communi Italis omnibus vocabulo, quamvis extra Latium natis, quemadmodum eos vocat lib. 1. Divin. Inſtit. c. V., ubi ait *noſtrorum primus Maro*, ibidemque *hi noſtri*, ſcilicet *Ovidius*, & *Virgilius* &c.

XXXI. Quæ teſtimonia ſi adbuc Heumanni, aliorumque animum non perſuadent, addo ea, quæ habentur cap. v. lib. de M. P., ubi de Sapore, Perſarum Rege, qui Valerianum Romanum Imperatorem vinculis mancipatum, ſibi terga, quum equum, aut currum aſcendebat, præbere coëgerat, loquens, Valeriani dedecus hiſce verbis deſcribit ſeg. 6. *Poſtea vero quam pudendam vitam in illo dedecore finivit, direpta eſt ei cutis, & exuta viſceribus pellis, infecta rubro colore, ut in Templo barbarorum Deorum ad memoriam clariſſimi triumphi*, LEGATISQUE NOSTRIS *ſemper eſſet oſtentui, ne nimium* ROMANI *viribus ſuis fiderent, quum exuvias capti Principis apud Deos ſuos cernerent*. Italus ergo, & quidem Romanus Lactantius, utpote qui NOSTROS appellat Legatos ad Perſarum Regem, Roma miſſos, non autem Africanus nam ſi ex Africa fuiſſet oriundus, quonam jure NOSTROS vocare potuiſſet Romani Imperii Legatos? Quod autem barbarorum nomine nunquam ab eo Romanos appellatos fuiſſe, aut appellari potuiſſe manifeſtiſſime oſtendit, illud eſt, quod habet cap. IX. ejuſdem libelli, ubi ſic legitur ſeg. 1. *Inerat huic beſtiæ* [de Herculio loquitur] *naturalis barbaries, & feritas, a Romano Sanguine aliena*. Quid clarius, quid diſertius a nobis afferri poſſit, ad opinionem de Lactantii patria

apud

apud Afros evertendam, atque ad eam apud nos firmandam, equidem non video?

XXXII. Neque heic reponant, ſi Romanus, quomodo ergo Firmanus Lactantius? Non enim mentiar ſi dicam, Romanos inter & Firmanos commune fuiſſe jus Civitatis, ideoque Franciſcus Pamphili, Poëta Septempedanus *lib. 3. Picen. a verſ. 637. ait*:

Stat vetus excelſo munitum vertice Firmum.
Urbem Romani jam coluere Patres.
Dicta quod hæc fuerit Romana Colonia Firma,
Et tenuit ſtabilem ſemper amica fidem.

Non me latet, in Africam quoque Colonias Romanas deductas aliquando fuiſſe, & unam ex eis Siccam in Numidia eſſe, ut teſtatur Plinius l. v. c. VIII., ſed eodem Plinio teſte, non omnes Coloniæ jure Civitatis Romanæ fruebantur, ibidemque ſatis clare oſtendit, unum tantummodo in univerſa Numidia Oppidum fuiſſe Tabracha nomine, in quo Cives Romani degebant.

Noſtri vero indiſcriminatim, & promiſcue Firmani, ac Romani Cives appellabantur, ut ex Plinio Secundo eruitur l. VI. epiſt. ad Sabinum, ad quem ſcribit. *Proinde Firmanis tuis, ac jam potius noſtris obliga fidem meam &c.* & ex Cicerone, ut §. XIV. vidimus, qui eos *Fratrum* vocabulo decoravit, cujus ethymon, ſecundum (*a*) Nigidium, idem valet ac *fere alter*, & juxta Iſidorum (*b*) quadrifariam de iis dicitur, qui aut natura, aut gente, aut cognatione, aut affectu copulati ſunt. Ideoque Romani Conſules, quum Legatos Coloniarum alloquerentur, qui, ſecundo Bello Punico ſæviente, negabant eſſe unde milites, pecuniamque P. R. darent, *cohortati eos ſunt, redirent propere in Colonias, & tamquam*

a Apud Gellium l. XIII. c. X. N. A.   *b* Iſid. l. IX. c. VI. Origin.

quam integra re, locuti magis quam auſi tantum nefas, cum ſuis conſulerent: Admonerent, non Campanos, neque Tarentinos eos eſſe, ſed Romanos, inde oriundos; inde in Colonias, atque in agrum bello captum, ſtirpis augendæ miſſos: quæ liberi parentibus deberent, ea illos Romanis debere, ſi ulla pietas, ſi memoria antiquæ patriæ eſſet &c. ut apud Livium legitur (*a*).

XXXIII. Quibus omnibus illud potiſſimum addendum eſt, quod jam ſupra tetigimus, ſed heic proprium locum habet, & ad ſecundam, quam jam inchoamus diſſertationis hujus partem ſpectat, videlicet, Gentem Cœliam, ex qua Lactantium in lucem veniſſe vidimus ex Andrea Schotti, inter præcipuas Romanas Familias locum habuiſſe. Id aperte, & luculenter oſtendit Pighius ex nummis, atque argenteis ſigillis, QUIBUS ut ipſemet ait tom. 3, pag. 136. loquens de quibuſdam deſcendentibus a Latore legis Cœliæ = POSTERI NOBILITATEM, ATQUE VETUSTATEM GENTIS, FAMILIÆQUE SUÆ PUBLICARE VOLUERUNT = Non piget heic unum ex illis ejuſdem Pighii verbis deſcribere Habet Nummus iſte = *faciem ad* vivum, ut apparet ex ſtatuis, imitatam, Principis Gentis Cœliæ, qui natione Tuſcus, & nomine = Cœlius Vivenna dictus, Romulo, contra Sabinos bellanti, ſuæ Gentis auxilium ingens adduxit, & poſt Victoriam, Romulo gratus, Romæ manens, in Monte = ſedem fixit, qui ab ipſo Cælius eſt appellatus, ut M. = Varro, Feſtus, Dionyſius, Tacitus, & alii memoriæ = prodiderunt. Ab iſta ſtirpe, ſe prognatos COELII CALDI jactarunt, ut docent antiqui denarii, quos ejus = Familiæ Caldus quidam IIVir monetalis cum Lucio = Caldo Epulone VIIViro, qui ex nepotibus, niſi fal- = lor,

---

a Dec. III. Lvi. c.XII.

= lor, hujus Legis Latoris, fuere, cudi curavit. Quod = ex ſuorum ſigillis, atque notis colligimus. Nam præ- = ter Gentis Cœliæ Principem, Familiæ quoque ſuæ deco- = ra promulgare in his voluerunt titulis, atque rebus ge- = ſtis hujus præcipue Legis Latoris; Avi fortaſſis ipſorum, = cujus hanc Legem Tabella tali [L. D.] ſignarunt, ejus = vim exprimendo notis L. D. id eſt LIBERO DAMNO. Et = addiderunt nomen ejus cum titulo Summi Magiſtratus = in hunc modum: L. COELIUS CALDUS Coss. Hic enim = primus ejus Gentis, ac Familiæ, *homo novus*: ut ait Cice- = ro, *contendit haud parvis Nobilium inimicitiis ad ſum- = mos honores*. Alia vero nummi dicti pars repræſentat no- = bis caput Solis cum radiata corona inter ſcutum oblon- = gum, rotundamque parmam, quæ fulminis, atque ſtella- = rum quaſi globulis, vel punctis, ornatur. Quibus ſim- = bolis per anagogen reſpicere videntur ad Gentis, fa- = miliæque nomina. Nam *Cœlii*, vel *Cælii*, utraque = diphthongo, a convexione, & Cælatura, ſicut & Cœ- = lum ipſum, & *Caldi* a calore Cœli, & Solis appella- = ri voluere, quemadmodum indicare videntur eorum = numiſmata; = hactenus Pighius *tom. III. Annal. Rom.* ad Ann. V. C. DCXLVI.

XXXIV. Perizonius vero de Gente Cœlia loquens in lib. *de Numm. Coſ.* pag. 268., diverſam putat gentem COELIAM a Gente CAELIA; Illa enim, *ait*, ab antiquo = nomine Etruſco COELE eſt derivanda, ſicuti ab eodem = nomine, ſeu a COELE VIBENNA, ut a Varrone, & = Tacito nominatur etiam Mons COELIUS in Urbe &c. = At CAELIÆ nomen a CAJO, vel GAJO lubens duxe- = rim, & analogice prorſus &c. Adde Fulvium Orſinum *Famil. Ram.* Vaillant *Numm. Antiq. Famil. Rom.* V. 1, pag. 291. Morell. *in Teſaur. Famil.* CAELIA & COELIA cum *notis criticis* Avercampi, qui omnes *Gentem Cæ-*

liam

lium plebejam fuiſſe contendunt . Quidquid tamen reapſe fuerit antiquis temporibus , id tamen certum eſt , quod in *Faſtis Conſularibus* a Panvinio editis , poſt *C. Cælium Caldum* , qui Coſ. cum L. Domitio , Gn. F. , Gn. N. Aheneobarbo proceſſit ann. V. C. DCLIX. , aut DCLX. ad Lactantium natum , numquam per continuatam generationum ſeriem hujus Familiæ viri deſiderantur . Siquidem : Ab V. C. Ann. DCCLXIX. Coſs. fuerunt

	L. Pomponius L. F. Flaccus . C. Cœlius C. F. C. N. Rufus .
An. DCCCXXI. ex K. Jun.	. . . . P. Cœlius Sabinus .
An. DCCCLIII.	. . Cœlius Hiſp.
An. DCCCLXXXIX.	L. Ælius Hadriani Aug. F. P. Cœlius. P.F. Balbinus. *Vibullius. Pius* .
An. CMXXI.	Soſius Priſcus . Q. Cœlius Apollinaris .
An. CMXCIX.	D. Cœlius P.F.P.N.Balbinus II. *Qui poſtea Imp.* M. Clodius Pupienus Maxim. *Qui poſtea Imp.*
An. CMLXXIX.	Ex A. D. VIII. EID. JULI. IMP. Balbini ET. Maximi. Auguſt Imperii initium.

Ii , jam ſenes anno ſequenti , militari ſeditione in ludis Capitolinis ante exitum Maii ambo interempti ſunt , Teſte Herodiano apud Julium Capitolinum . (*a*) M. Ulpio Crinito & Proculo Pontiano Coſſ. Hic idem annus , cujus, velut

a Capitol. in Max. & Albin. Pagius ad Ann. CCXXXVIII.

velut titulus, par Conſulum iſtorum eſt , apud Cenſorinum cap. VIII. *de die Natali* ſecundum Varronem eſt ab Olymp. I. an. MXIV. ex dieb. æſt. A Roma C. CMXCI. ex Parilib. Julian. CCLXXXIII. Auguſtorum CCLXV. Æræ Auguſt. Alexandrinæ CCLXVIII. Nabonaſſari CMLXXXVI. Philippi ab exceſſu Alexandri DLXII. Æræ Chriſtianæ communis CCXXXVIII. quando Lactantium noſtrum infantem ſaltem fuiſſe , cenſendum eſt , quippe qui in extrema ſenectute Criſpum Cęſarem , Conſtantini Magni filium, latinis literis , boniſque moribus, IV. ineunte ſæculo inſtituit , ut Diſſertatione ſequenti viſuri ſumus.

XXXV. Quod autem ex hac eadem familia *Cælia*,quæ ſi non a Cœlio Vivenna , Romuli collega , certe tamen a *L. Cælio Caldo* originem ducit, Lactantius prodierit , non ſolum habemus ex Andrea Schotti , a nobis laudato ſuperius §. IX. diſſ. I., verum etiam ex quibuſdam Mss. codicibus , Firmiani opera continentibus , in quibus ultra uſitata cognomina , eidem etiam illud *Caldi* additur , eodem modo ſcriptum,quo in Nummo *L. Coelii Caldi* apud Laurentium Begerum , pag. 548. exaratum apparet , & nos heic oculis ſubjicimus



nempe per notas contractas CAAI , quarum media triplicem characterem ſignat , videlicet *A. L. D.* junctim , & copulate euſum, ut videre eſt apud Geſnerum in *Biblioth.*

L *Uni-*

Univerſ., ubi de Lactantii Mss. codicibus loquitur,& nos, quum de iis agemus ingenue repræſentabimus. Quamobrem jure quidem, & merito, pluribuſque titulis tam Romanus ; quam Firmianus ab Urbe patria dici poterat Lactantius, ſimulque eidem licebat Cives ſuos appellare Ciceronem, Virgilium, Ovidium, Senecam, &c. qui, etſi Romæ nati non eſſent, Romanæ tamen Civitatis jure donati fuerant. Proindeque rite etiam Romanos ad Perſarum Regem Legatos, ac Latinos omnes, idem Lactantius *Noſtros* dixit, vel quia Majores ejus urbe relicta in Coloniam Firmam, aut Municipium jamdudum demigraverant, vel quia fuerant in ampliſſimum Equitum Romanorum ordinem jam pridem cooptati. Tullius ſiquidem in ſuperius laudata oratione pro M. Coelio id clariſſime videtur innuere hiſce verbis, accuſatoribus ejuſdem reſpondens: *De dignitate, Coelius, notis ac majoribus natu, etiam ſine mea oratione, tacitus, facile ipſe reſpondet; Quibus autem propter ſenectutem, quod jam diu minus in foro nobiſcum verſatur, non æque eſt cognitus: hi ſic habeant: Quæcumque in Equite Romano dignitas eſſe poſſit, quia certe poteſt eſſe maxima, eam ſemper in M. Coelio habitam eſſe ſummam, hodieque haberi non* ſolum a ſuis, *ſed etiam ab omnibus, quibus potuerit aliqua de cauſſa eſſe notus. Equitis autem Romani eſſe filium, criminis loco poni ab accuſatoribus, neque his judicantibus oportuit, neque defendentibus nobis .... Quod eſt objectum Municipibus eſſe adoleſcentem non probatum ſuis: Nemini umquam præſenti* Prætutiani *majores honores habuerunt, quam abſenti M. Coelio: quem & abſentem in ampliſſimum ordinem cooptarunt, & ea non petenti detulerunt, quæ multis petentibus denegarunt. &c.*

XXXVI. Prætutiani vero non ſolum, ut Plinius ait l. III.

l. III. c. XIII., Picentibus, Firmaniſque erant olim contermini, *Flumina Albulates*, *Suinum*, *Helvinum*, *quo finitur Prætutiana Regio*, *& Picentum incipit*. *Cupra Oppidum*, *Caſtellum Firmanorum &c.* Sed poſtmodum intra eorum limites venerunt, ut bene advertit Cellarius ex eodem Plinio, qui de eis loquens in ſua O. N. poſt laudata Plinii verba. *Si autem*, inquit, *laxe Picenum accipiatur*, Prætutianum, *& Hadrianum agros eo vocabulo complecti idem Plinius teſtatur ibidem*.
= Piceni . . . tenuere ab Aterno amne, ubi nunc eſt ager
= Hadrianus, & Adria colonia, a mari VII. M. paſſuum.
= flumen Vomanum, Ager Prætutianus, Palmenſis. *&c.* Non ignoramus in quampluribus Tullii libris, præſertim editis legi loco *Prætutiani*, *Puteolani*, in aliis vero *Prætoriani*, *Præſtutiani*, *Prætori*, ut etiam ibidem obſervavit ex Mss. Lambinus; At in editione Elzeviriana, & in iis, quæ ad exemplar illius cuſæ ſunt, ſcite annotatum fuit per Janum Gruterum, aliosque eruditos viros, errorem eſſe manifeſtum: ut pag. 538. edit. Baſil. an. 1687. nota 5. habetur. *Vox* PUTEOLANI *non eſt Tullii noſtri*. *Certe editiones ævi priſci præferunt Prætoriani*, *neque aliter plerique ſcripti noſtri*; *inter quos* III. V. *&* VIII. *habent*, præſenti Prætori, *quod mihi non omnino abſurdum*: *Sed quum S. Vict. habeat ad oram* al. Pirieſtutiani, *videtur fuiſſe* Prætutiani. *Prætutianam ſane regionem*, *claram inter Italicas fuiſſe notum ex Plin. &c.* In Ms. Cod. Ottoboniano obſignato I. K. 39. 5. ego legi *Picenutiani*, fortaſſe *Picentes Prætutiani*; nam Ptolomæo, *Prætutium* oppidum eſt in Piceno noſtro ſitum, & *Ager Palmenſis* in Prætutiana regione a Plinio recenſitus, prope Torrentem Læti (ubi antiquiſſimam Pici regiam fuiſſe vidimus §. XVII.) extollitur, vocaturque nunc vernacula noſtra : *Torre di Palme* id eſt : *Turris Palmarum*.

L 2 XXXIII. Quæ

XXXVII. Quæ omnia ſi Walchio comperta fuiſſent, non utique dixiſſet, Lactantii parentes ex ordine plebejo originem trahere, nullo aſſertionis ſuæ teſte laudato. Non enim ex ſumma rerum inopia, qua uſque ad neceſſaria laboraſſe aliquando fertur Lactantius, colligi id tuto poteſt. In primis, quia, *ſi aliquando*, non ergo ſemper. Secundo, quia, ſi perpendantur præcipuæ difficillimorum ſuorum temporum perſecutiones, & Chriſtianorum anguſtiæ, quas idem Firmianus in libello de M. P. deſcribit, ſtatim cauſſa paupertatis, fere communis, ſeſe palam prodit. Præterea Ecquis credat, Conſtantinum M., Auguſtum ex Auguſt. genus inclytum, & nomen ducentem, plebejo homini, Filium ſuum primogenitum Criſpum Cæſarem, ad totius Romani Imperii, ne dicam ad univerſi terrarum orbis regimen natum, tradidiſſe formandum? Si de Maximino Daja actum eſſet, fortaſſis crederem, utpote qui ab Avunculo ſuo Armentario e Sylvis, ac pecoribus ſublatus, ut idem Lactantius ait, ſtatim Scutarius, continuo Protector, mox Tribunus, poſtridie Cæſar, Orientem calcandum potius, quam regendum, erat ſuſcepturus; ſed cum de Criſpo Cæſare, literis, moribus, ac Principe digna majeſtate imbuendo, ageretur, dubito, quin Magni Conſtantini, ejuſdem Criſpi, ſapientiſſimi Parentis, Prudentia lædatur, ſi abjectæ ſortis hominem ad hocce munus eum deligiſſe, aſſerere non vereamur.

XXXVIII. Quare minus a veritate abhorrere dixerim, cauſſam Lactantianæ paupertatis non infimam fuiſſe ſuæ familiæ ſortem, ſed potius vitæ probitatem extitiſſe. Nonne ad extremam pauperiem redactus olim fuerat etiam Origenes Adamantius, qui, ut Hieronymus ait (*a*), decimo

---

a Lact. de M. P. c. XIX. ſeg. 6. *b* Hieronym. de Viris Illuſtr. Cap. LIV.

Digitized by Google

mo Severi Pertinacis anno adverſus Chriſtianos perſecutione commota, Leonide Patre, Chriſti Martyrio coronato, cum ſex Fratribus, & Matre vidua, pauper relictus remanſit, re familiari ob fidei confeſſionem a Fiſco occupata? Nonne quampluribus Fidelibus Chriſti, ſuis præſertim temporibus, idem accidiſſe, diſſertiſſime oſtendit Lactantius noſter? (*a*) Id ſaltem certo certius eſt, quod quum ipſe ad ſcribendum ſe contulit, nulla vel rei, vel temporis neceſſitate, aut penuria laborabat, ut ipſemet apud Demetrianum, auditorem aliquando ſuum, in libello, quem eidem *de Opificio Dei*, ſeu *Hominis formatione* nuncupavit, ingenue ab exordio profitetur.

XXXIX. Fratrem Germanum Lactantius habuit, nomine Pentadium, cui eam depoſcenti, Epitomen ſcripſit Inſtitutionum Divinarum, ut ex ejuſdem libelli præfatione, & titulo facile deprehenditur; quamvis enim Chriſtiani in primitiva Eccleſia Fratres invicem appellarentur omnes, etſi nullo ſanguinis vinculo conjuncti eſſent, perperam tamen ex hoc ſe collegiſſe putat Daviſius, Pentadium non eſſe germanum Lactantii Fratrem; utpote qui non probat morem hunc uſitatum aliquando fuiſſe ab eodem Lactantio, a quo potius contrarium factum eſt, quum nec Donato, nec Demetriano, quibus libellos nuncupavit, hunc Fratris titulum unquam dediſſet, quamvis conſtet, eos etiam fuiſſe Chriſtianos. De hoc Pentadio mentio fit, ni fallor, apud Ammianum Marcellinum *lib.* XIV. *Hiſt. Auguſtæ*; eumque Notarium fuiſſe commemorat ſub Conſtante Imperatore, Magni Conſtantini filio, quando plurimorum criminum poſtulatus, capite ab eodem Conſtante damnatus fuit Gallus Cæſar, an. æræ vulgaris CCCLIV., eodem Gallo III. & Conſtante VII. Coſſ.,

a Lact. de M. P. C. XIII. XXVII. XXX. &c.

Coſſ. , & quidem Polæ in Iſtria , ubi paullo ante , juſſu Patris , eadem pœna , quamvis immerita , multatus fuerat Criſpus Cæſar , Lactantii noſtri quondam alumnus . Id plane mihi Pentadii nomen, ætas, locus, & Conſtantis cum Conſtantino Magno , & Criſpo Cæſare cognatio , facile perſuadere poſſe confirmant .

XL. Quod quum magnam veroſimilitudinis ſpeciem præſeferat , non mediocre eſſe poteſt generis , & avitæ nobilitatis argumentum ; Nullus enim ad Imperatoris Notarii munus,ut ait Æmilius Probus, deligebatur, niſi honeſto loco natus,& cujus non eſſet fides & nobilitas cognita , atque induſtria : quum neceſſe ſit omnium eum conſiliorum eſſe participem ipſius Principis : quod confirmat Zoſimus , nonnullos referens Notarios , qui maximo in honore habiti ſunt apud Reges , & Imperatores .

XLI. Simili prorſus conjectura ducor , quum aſſero , eundem Pentadium illum eſſe , qui Pompejanus dicitur in Collectione Epigrammatum Vetuſtiorum Poetarum a P. Pithæo adornata , & a Maitaire luculenter aucta , & vulgata typis Londinenſibus an. 1713., de quo Munckerus in notis ad Hygini fabulas cap C. VI. & Fabricius l. III. c.1. n.X1. Bibl. Latinæ mentionem faciunt ; nam Pompejani cognomen , propter ea , quæ ſuperius de Gente Cælia , ac de Firmanis noſtris erga Pompejanam Familiam diximus , huic conjecturæ fundamentum addere videntur; fulciturque hoc magis ex eo , quod eidem Pentadio , quem Pompejanum , Fabricius nominat , carmina quædam tribuuntur , quæ fragmenta ſunt cujuſdam Poematis , inſcripti *de vita beata* , quemadmodum Lactantius noſter lib. VII. Divin. Inſtit. titulavit . Inter Poetas , quos vocant Scholaſticos etiam quidam alius Pompejanus recenſetur , de quo Reineſius Epiſt. 50. ad Rupertum ex Fabr. Bibl. lat. l. 1. c. 12. n. 13., & l. 2. c. 22. n.6.

n. 6. ſed eundem hunc eſſe tuto aſſerere non poſſumus: & quamvis concedi debeat Fabricio, frequens admodum fuiſſe Romanis a numeris nomina imponere E.G. *Marcus Primus* apud Xiphilinum. *Tertii* Amanuenſis ſui apud Apoſtol. Paul. ad Rom. cap. XVI. verſ. 22. *Tertulli*, *Tertulliani*, *Tetradii*; quum tamen nec ipſe Fabricius alterius Pentadii nobis notitiam offerat, neque nos alibi, ſive inter ſacros, ſive inter prophanos Scriptores, illam expiſcari potuerimus, neceſſe eſt dicere, minus uſitatum hocce nomen fuiſſe. Apud Boſium, & Arrinchium *Roma ſubter*: tom. I. l. III. cap. II. in lapide quodam Sepulchrali ab Holſtenio in Cemeterio S. Agnetis, via Nomentana reperto ſic legitur = PENTADIUS IN PACE DEPOSITUS XIII. Kal. MARTIAS. Et in Cod. Vatic. 7192. fol. 100. ante Epiſtolam Vindiciani Medici clariſ. titulus iſte præfigitur. *Ad Pentadium Nepotem ſuum*. Locus Sepulchri illius primi Pentadii, & tempus iſtius ſecundi, ſi ſpectentur, ac cum ſuperioribus comparentur, unum, eundemque Pentadium, Lactantii fratrem germanum indicare poterunt, ut infra fuſius declarabimus, quum de eodem ſermo redibit (*a*).

XLII. Utrum vero Lactantii noſtri Conſanguineæ, an extraneæ fuerint Foeminæ illæ, de quibus ex Maranconio, & Fabretto mentionem fecimus §. *XXIV.*, temerarium eſſet, ſine aliis adminiculis aliquid heic aſſeverare: quemadmodum de aliis quibuſdam viris, ſub Firmiani nomine vel Martyrio, vel dignitate, vel virtute clariſſimis.

XLIII. Ethniciſne, an Chriſtianis parentibus prognatus fuerit Lactantius, ignota prorſus, & minime ad ſolutionem pervia quæſtio eſſe videtur, quum idoneis ca-

(*a*) Diſſ. III. a §. VI.

careat teſtimoniis. Sunt nonnulli, quos in annotationibus noſtris aliquando laudamus, qui loca quædam ſe in ejus libris obſervaſſe contendunt, ex quibus inferri poſſe putant, ex ethnicorum caſtris ad Chriſti Eccleſiam adveniſſe Lactantium, quibus favere videtur Auguſtinus, loco a nobis in præfatione laudato; Verum cum Nourryo (a) ingenue fateor. *Hos nobis longe eſſe oculatiores. Nihil quippe in his, quæ citantur locis animadvertimus, quo ille repudiatam a ſe Gentilium, ac recens ſuſceptam Chriſtianorum religionem, ſignificet. &c.* Id certum eſt, quod Lactantio adoleſcente, Chriſti fides apud Firmanos quamplurimos habuerat fortiſſimos aſſertores, qui ſanguine in ejus teſtimonium fuſo, Deciana perſecutione ſæviente, Martyrii corona decorati ſunt, ut teſtatur Siſtus V. P. M., olim Firmanæ Urbis Epiſcopus, & Civis, in Conſtitutione Apoſtolica, qua Eccleſiam noſtram ex Epiſcopali, ad Archiepiſcopalem erexit, promeritiſque laudibus exornavit.

XLIV. Ejus tamen procul dubio Familiæ Libertos fuiſſe puto, quorum mentio fit in inſcriptione Veronenſi, quam in Collectione ſua bis exhibet Gruterus ex Fabretto, Sar., & Panvin. p. DCXL. n. 9. & p. CMXXCVII. n. 4., in qua ſic legitur. OTCAVIA. ƆL. HILARA.

V. F. SIBI. ET.
L. COELIO. L. L.
STATVARI. VIRO.
SVO. ET. L. COELIO.
L. F. FIRMIANO
FILIO
H. M. H. N. S.

Liberti enim quum manumittebantur, inſigniri conſue-

---

a Nour. diſſ. III. c. 3. in Lact. tom. II. Appar. ad Bibl. Max. SS. PP.

ſueverant prænomine, & nomine Dominorum ſuorum: & ſi qua prærogativa excelluerant, eorum filii etiam civitate donabantur, in qua nati erant, & munera publica ex privilegio ſubibant. Primam hujus aſſertionis partem oſtendit inſcriptio apud Montfaucon tom.v. *des Antiq. expl.* pag. 115. ſiquidem eſt hujuſmodi.

SEX. POMPEI. AGATONIS. PATRONI.
ET. SEX. POMPEI. MARTIALIS.
SEX. POMPEIVS. EVTYCHVS. L,
PATRONO. MERENTI &c.

Secundam vero Urna marmorea apud eundem p. 111. demonſtrat hoc præſeferens Epigramma:

D. M:
L. FABRICI. L. F. PAL.
CAESENNI. GALLI. EQ. ROM.
PONTIF. L. L. SCRIB. AEDILIC.
OMNIBVS. HONOR. IN. COST. F.
ITALICVS. P. DIGNISSIMO.

LXV. De Lactantii ergo Patria Parentibus, atque Conſanguineis hactenus dicta ſint ſatis: dilucide quippe oſtendimus, nullum adeſſe validum argumentum, quo vulgaris illa opinio, aſſerens, eum fuiſſe Afrum, aut Formianum, quocumque modo fulciatur. Quæ ex adverſo jacta fuerant conjecturarum fundamenta, per nos penitus everſa jacent. Vidimus Lactantium ipſum, *noſtros* appellare non ſolum Latinos, verum etiam Romanos Cives, ac Legatos. Stylum, a Walchio pro indicio adhibitum, adverſus Heumannum vindicavimus, ſatis eſſe ab Africanis quibuſcumque Scriptoribus alienum. Nec originem ejus in oblivionis caligine reliquimus, ſed a Cælia Gente, in Piceno, in Africa, in Urbe, primis dignitatum gradibus decoratam, eandem, ſerie generationum non interciſa, deduximus, ac poſſeſſiones in Africa lia-

habuiſſe oſtendimus: quare quum hactenus inter viros, eruditione clariſſimos, anceps judicium extiterit Afriſne Siccenſibus, an Italis Firmanis adjudicandus eſſet Lactantius, primis jam, ratione, ac authoritate ab omni eum ſibi arrogandi jure excluſis, jam omnis ratio poſtulat, ut ſecundis reſtituatur. Omnium propterea eruditorum virorum judicium appello; hique meminerint grave illud, ac Judicibus apprime neceſſarium M. Tullii monitum: (a) *Quid eſt, ubi elucere poſſit prudentia? Ubi diſcerni ſtultus auditor, & credulus, ab religioſo, & ſapienti Judice? Nimirum illud, in quo ea, quæ dicuntur a teſtibus, conjectura, & cogitatione traduntur: quanta authoritate, quanta animi æquitate, quanto pudore, quanta fide, quanta religione, quanto ſtudio exiſtimationis bonæ, quanta cura, quanto timore dicantur*. Quæ omnia ſi rite, ut fas eſt, in hocce judicio ſerventur, equidem non dubito, quin Firmanis tandem Civibus reddendus ſit Lactantius noſter.

XLVI. Civi ergo ſuo, tunc longo ceu poſtliminio, in Patriam reduci, expanſis ulnis, greſſibuſque concitatis, Firmani noſtri procedant, Civemque ſuum, non Ethnicorum ſolummodo ſpoliis longe divitem, verum etiam cum Catholicorum, tum Heterodoxorum ſtudiis illuſtratum, atque a nobis priſtino nitori redditum, per manus noſtras recipiant, ac in ſublimem illam firmiſſimæ avitæ fidei arcem, ubi nullo umquam conatu, aut flecti potuit, aut frangi Firmanorum conſtantia, Antiquorum teſtimonium, præſentium lætitiam, futurorum exemplar, tanti viri laureatam Imaginem, nullo delendam tempore, aut invidiæ tabe obſcurandam extollant, Civica eum donaturi, antiquiſſimo Romanorum more, qui ma-

(a) Cicero Orat. Pro M. Fontejo.

Digitized by Google

maximum Civem, in diſcrimine amitendæ Patriæ poſitum, factumque aliena fraude, vel errore extorrem, me felicius, & reducem fecerit ad ſuos, & eis illum reſtituet incolumem..

FINIS.

MO-

MONITUM BIBLIOPOLÆ.

VENANTIUS MONALDINI CAMERS
Romæ in Via Curſus Librorum Mercator,

SINGULIS ERUDITIONIS AMATORIBUS SALUTEM.

QUum meo periculo a Cl. Authore relictum ſit de exemplarium edendorum quantitate cogitare, operis totius propediem abſolvendi, monitum te volo, Benigne Lector, eam me determinaturum ad numerum eorum, qui intra hujus labentis anni MDCCLI., & ineuntis VI. menſium, nomen ſuum, ad calcem primi voluminis ſcribendum., & unius aurei arrabonem ad manus meas tuto in anteceſſum tranſmiſerint. Hi ſtatim a me ſyngrapham recipient pro receptorum ratione reddenda in traditione ſingulorum voluminum, quæ tria fol. erunt, & unumquodlibet duobus tantum aureis eiſdem; aliis vero, tribus, omnino veniet. De fide a me ſervanda, de celeritate, & elegantia typographica, de papyri nitore, ac ærearum tabularum, numiſmatumque inciſione, & impreſſione, non eſt quid moneam, quum de iis omnibus ſatis, vel me tacente loquantur *Vaillantii Numiſmata*, & *Guarnaccianæ Vitæ*, ac *Res Geſtæ* RR. PP., & S. R, E. Cardinalium, ſumptibus, & curis meis editæ, quarum potiſſimum editionum veſtigia in Lactantii operibus, me ſervaturum polliceor. Vale interea, & fave.

Dabam Romæ Kal. Septemb. MDCCLI.

BIBLIOTECA ROM. VITTORIO EM.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

4-3-14

Digitized by Google